EX MUNIFICENTIA
FERDINANDI III. M. E. D.
DIE 3. IUNII 1791.

9. 7. 64

9 B. 7

COMPENDIUM
LOGICES,

à

JO. HENRICO SCHEL-
LENBAUERO,

Eccleſiæ Stutgardianæ olim Dia-
cono, & Gymnaſii ibidem Illuſtris
Profeſſore,

Publico juſſu
adornatum;

nunc verò
recognitum.

In Uſum Scholarum DUCATUS
WURTEMBERGICI.

Cum Gratiâ & Privilegio Ducali.

STUTGARDIÆ,

Typis & Sumptibus

CHRISTIAN GOTTLIEB ROESSLIN,
Typographi Würtembergici ordinarii.

ANNO M DCC XV.

Digitized by Google

PRÆFATIO
AD
LECTOREM.

CUm LOGICAM, quæ à B. SCHELLENBAUERO *Eccleſiæ* hujus Urbis *Collegiatæ* quondam *Symmyſtâ & Gymnaſii* Illuſtris *Profeſſore*, à doctrina, & pietate commendatiſſimo, luci olim publicæ commiſſa eſt, frequentiſſimi emptores diſtraxiſſent, neceſſitas Scholarum noſtratium exigebat, ut *iteratis vicibus* prælo Typographico ſubjiceretur. Quod ut eo fructuoſius fieret

atque ornatius, aliqua, quæ B. Auctor ſive brevius juſto, ſive prolixius, quàm ut ab ingeniis paullò hebetioribus rectè caperentur, primis curis propoſuerat, ſecundis nonnihil emendata ſunt; addita alia, ſed pauca, quæ animos Juveniles prægustu quodam artis ratiocinandi noviſſimæ imbuerent. Qua in re *nihil libidini* datum, ſed *calamo Magiſtris recentioribus obtemperante* cautum eſt diligenter, ut limâ magis ſplendeſceret hoc Compendium, quàm attereretur. Memoriæ inſuper juvandæ gratiâ, ne citius juſto ſemel percepta effunderet, ſed facilius diſcendis regulis adhæreret, *conjuncta* notis ab Auctore *diſtraximus* in quæſtiones; alia

diſtin-

diſtinximus linearum typorumque differentiâ, & poſito quaſi limite, qui regiones materiarum, & obſervationum magno legentis commodo ſejungeret. De reliquo par eſt, idque muneris injuncti gravitas efflagitat, ne Magiſtri, quotquot regendæ juventuti præficiuntur, cupidas doctrinæ, atque defæcatas mentes inanibus *nugis* circumducant, auguſtamque rectæ rationis ædem telis aranearum, quales Scholaſtici, eorumque pulli nectere ſolent, multisque tricarum ſordibus oppleant, quas vix ac ne vix quidem prudentior ætas everrit. Putidum foret, atque Chriſtianæ conſcientiæ probroſum, ea, quæ obelo *publicæ*

reprehenſionis transfixa ſunt, nec niſi *cum indignatione* dediſcuntur, ceræ mentium teneriorum imprimere, quarum *dignitas*, & per Communem Servatorem *redemptio*, neque minus fidei ſinceræ ad reprimendas ſuperbæ rationis criſtas *officium*, haud patiuntur, ut earum felicitate, & innocentia quispiam temerè abutatur. Et quem congruens eſſe judicaturum arbitrabimur, ſi modo ſolicitudine aliquâ promovendæ rei ſacræ tangatur, ut, cùm humani ingenii tumorem habeamus exploratum, quàm facilè, quàm pervicaciter in myſteria divinæ Religionis ſuo ſcrutinio irrumpat, eidem tela, gladiique ſubminiſtrentur, quibus ſe ſu-

am-

amque ſalutem, non niſi vanæ rationis depreſſione obtinendam, confodiat? Cujusvis prudentiæ, & dexteritati relinquitur, quid *conſentaneum* huic fini, quid *proficuum* diſcentibus, quid DEO *glorioſum* futurum putet. *Rectæ rationis*, quam magni beneficii inſtar cum gratiis poſſidet mortalium genus, defæcatio ei potiſſimùm tempori debetur, cùm fundamenta locantur in Scholis omnium Scientiarum, quibus Eccleſia cum Republicâ feliciter, (utinam feliciſſimè!) utitur, velut ornamento, inque negotiis humanis, dum vivimus, auxilio. Adeoque nemini non proclive eſt agnoſcere, quantum *ſive ignominiæ*, ſive *laudis* ἐν ἀποδόσει τοῦ λόγου de Logica informatione Ma-

Magiſtro expectandum ſit, qui ingenia DEO devota vel fœdiſſimis modis corruperit, vel ſanctâ, juſtisque principiis ſuffulta manuductione ad ſublimiora præparârit. Vale in Domino!

Com-

COMPENDIUM LOGICES.

LIBER PRIMUS, De NOTIONE SIMPLICI.

Caput I. DE DEFINITIONE ET DIVISIONE LOGICÆ.

I. *Quid eſt Logica?*

LOgica eſt habitus organicus, dirigens Intellectum ad veram cujusque Scibilis cognitionem.

Brevius & clarius: Eſt Ars dextrè cogitandi ſive ratiocinandi, quâ docemur aptique ſumus veritatem *invenire*, *reſolvere*, *rectèque proponere* ſive ad *defenſionem* ſive ad *informationem & convictionem*. Vid. Le Bon. Art. de penſer. Malebranche Recherche de la Veritè. Illuſtris Tſchirnhauſen Medicinâ mentis & Corp. Vera enim. Logica, Mentis etiam eſt Medicina.

1. *Definitum* dicitur Logica, à græco λόγος, quod & Rationem, & Orationem, tam mentis

 quàm

quàm oris ſignificat. Hinc Adjectivum λογικὸς, *Logicus*, & fœmininum λογικὴ; ex quo latinum uſu Subſtantivum Logice & Logica, ſubintellige, τέχνη, *Ars* vel *Diſciplina*. Solent enim Diſciplinæ ad captum Tironum vocari *Artes*. Ut γραμματικὴ, Grammatica, dicitur *Ars loquendi*, die Sprach-Kunſt: Ῥητορικὴ, Rhetorica, *Ars dicendi*, die Red-oder Berede Kunſt. Sic etiam λογικὴ, Logica, dicitur *Ars intelligendi*, die Vernunfft-oder Verſtehe-Kunſt. Dicitur etiam Dialectica, à διαλέγεσθαι, diſſerere, in utramque partem diſputare.

Differunt tamen *Logicæ* & Dialecticæ vocabula: quia *Logica* propriè ſignificat totam artem intelligendi; Synecdochicè verò illam partem Logicæ, quam Topicam vocant; Contra, *Dialectica*, propriè ſignificat Topicam, Synecdochicè verò totam intelligendi artem.

2. *Definitio* conſtat *Genere* & *Differentia*.

a. Genus Logicæ eſt *Habitus Operativus*.

Habitus, quia Logica perficit facultatem intelligendi homini naturâ inſitam eidemq; medetur. Unde Facultas illa intelligendi dicitur *Logica Naturalis*: Ars verò intelligendi dicitur *Logica Artificialis*. *Organicus*, quia Logica facultatem illam intelligendi naturalem per certa ὄργανα ſive inſtrumenta perficit: unde habitus ὀργανικὸς, organicus, vel inſtrumentalis dicitur.

b. Differentia petitur ab *Objecto*, *Fine*, & *Mediis*.

Quodnam eſt Objectum Logicæ?

Objectum Logicæ eſt Intellectus humanus, quatenus dirigi poteſt ad veram cujusque Scibilis cognitionem.

Obje-

Objectum Logicæ dicitur id, circa quod verſatur Logica, ut finem ſuum in illud introducat. Eſtque *Materiale* & *Formale*. Objectum Logices *Materiale* eſt Intellectus humanus, qui verſatur circa *γνωστὸν*, vel *νοητὸν*, id eſt, Scibile, intelligibile, ſeu circa id, quod ſciri & cognoſci poteſt quocunq; modo: ſive ſit Ens, ſive non Ens; ſive verum, ſive fictum, modo ſub intelligentiæ humanæ Sphæram cadat. Numerantur a. communiter tres mentis vel intellectus operationes, actus & functiones. 1. *Simplex Apprehenſio*, 2. *Judicium*, 3. *Diſcurſus*. Simplex Apprehenſio *eſt Cognitio rei purè repræſentativa, abſque affirmatione* & *negatione*. Ut, ſi concipias *hominem*, nudè tibi eum in intellectu repræſentando, nec quicquam de eo judicando, an, quis, qualis, quantusve ſit? &c. Judicium *eſt Affirmatio vel Negatio alicujus de aliquo*; Ut ſi cogites: *Homo eſt peccator*, *Homo eſt mortalis*. Diſcurſus *eſt ratiocinatio vel Illatio alicujus ex aliquo*. Ut, *Homo eſt peccator. Ergo, homo eſt mortalis. Objectum Logicæ Formale* eſt Ratio ſub Qua, ſive Reſpectus ille, ſecundùm quem Logica circa Intellectum verſatur, nimirum ſub ratione Dirigibilitatis, ſive quatenus Intellectus per certa inſtrumenta rectificari, atque ad veram cujusque rei cognitionem dirigi poteſt. Sub hac ratione nulla alia Diſciplina circa Intellectum verſatur.

Sive clariùs. Logica oſtendit MODUM, quo modo *rectè* uti debeamus RATIONE divinitus conceſſa ad

Veritates ſublimiorum diſciplinarum *capiendas*, *dignoſcendas*, *methodicè*, *inconfusè*, *convictivè* (verbo ἐυλογιστως ſive rationaliter) *proponendas*, in *diſcurſu* vel *ſoluto* vel *formali*.

Quis eſt finis Logicæ?

Finis Logicæ eſt Cognitio organica, recta, vera.

Finis Logicæ eſt triplex: *Proximus*, *Intermedius* & *Ultimus*. Finis proximus Logicæ eſt Intellectio vel *Cognitio organica*, id eſt, ut intellectus operetur ſecundùm organa & inſtrumenta Logica: Intermedius., *Cognitio recta.* Nam per inſtrumenta Logica rectitudo in Intellectum introducitur, & quando intellectus logicè operatur, tùm operationes ejus rectè ſe habent. Ultimus eſt *Cognitio vera*, & ſana ſive *Veritas Cognitionis.* Quando enim operationes Intellectus rectè ſe habent, tùm Cognitio eſt conformis rei cognitæ. Et illa *conformitas cognitionis cum re cognita* eſt ipſa veritas cognitionis.

Quæ ſunt Media ſive Organa & Inſtrumenta verè intelligendi?

Organa Logica ſunt Notiones Secundæ primis notionibus ritè tractandis accommodatæ; Et Methodus: hæc enim utitur *Notionibus ſecundis*, & docet *dextrè cogitare, ratiocinari, proponere.*

Quid eſt Notio?

Notio eſt *Conceptus rei intellectu cognitæ.*

A Νοέω, cogito, eſt νόημα, νόησις, & νόησκω: ab

ab hoc Noſco, novi, notum; hinc *Notio*, idem quod *νόημα*, Cogitamentum, Conceptus, notitia rei in mente, & *expreſſio* quædam nova, ad modum Speculi, in quo *Solis* ſeu *hominis* imago exprimitur.

Quid eſt Notio prima?

Conceptus realis. Ut, *Homo.*

Dicitur etiam Conceptus rei *primus* & *immediatus*: quia intellectus primò & immediatè fertur in ipſam rem, eam ſecundùm naturam ſuam cognoſcendo. Ut, ſi concipias *hominem*, quatenus eſt animal, rationalis, bipes, erecto capite &c. Hodie:

Idea rei exiſtentis vel poſſibilis.

Quid eſt Notio ſecunda.

Conceptus artificialis. Ut, *Species.*

Dicitur etiam Conceptus *mediatus*, *technicus*, *Conceptus conceptûs*, quia Intellectus medio conceptu tanquam inſtrumento fertur ſupra ſeipſum, atque in notionibus primis ritè tractandis facilitatur. Ut, ſi concipias *hominem*, ut Speciem, ſive tanquam prædicabile de pluribus individuis.

Quomodo vocatur id, quo Idea ſive conceptus mentis exprimitur?

TERMINUS.

Quid eſt Terminus?

Eſt vox ex inſtituto aliquid ſignificans, Ut, *homo*, *miles.*

* Eſt VOX, non bovis ſed hominis: SIGNIFICANS, quæ exprimit aliquid vel ex *communi* uſu linguarum inter homines vigentium, vel ex *arte* doctorum: ex *inſtituto*; neque enim vocabula, tanquam typi & Symbola conceptuum ſponte naſcuntur, ſed ex *impoſitione* & *conſilio*, DEI, primi hominis, Gentium, eruditorum, artificum.

Quomodo dividitur Terminus?

I. Ratione OBJECTI in *Realem* & *technicum.*

* REALIS eſt, qui *rem exprimit animo conceptam, prout eſt vel eſſe poteſt in rerum natura.* v. g. Si dico, homo, apis, Alexander.

** TECHNICUS eſt, qui *rem exprimit animo conceptam, ſed ſub imagine & χίειτ, ita realiter non exiſtente;* ſed *à fictione* & *præciſione ipſius mentis* orta. v. gr. Si dico, homo eſt *diſſyllabum,* nomen *maſculini generis, Subjectum* vel *prædicatum* in propoſitione &c.

II. Ratione Virium ſignificandi, *in Categorematicum & Syncategorematicum.*

* ILLE eſt, qui principaliter & per ſe ſignificat. Ut, *Homo, pius.* SYNCATEGOREMATICUS, qui minus principaliter ſignificat. Ut, *hominis, piè.* Categorematicus eſt vel Purus, qui nullum Syncategorema involvit, ut nomina Subſtantiva, in caſu recto, ſive Nominativo. *Homo, ignis, leo* &c. vel Mixtus, qui Syncategorema involvit, ut, Adjectiva, Pronomina & Participia concretivè ſumpta, ſive abſque Subſtantivis poſita, & Subſtantivum ſuum involventia. Ut, *Doctus, Amans, Ego, Ille, Omnis, Nemo* &c.

** Iterum Terminus Categorematicus (à quo Syncategorematicus dependet) eſt vel Incomplexus, qui Unum quid principaliter ſignificat (voce unâ vel pluribus.) Ut, *DEUS Redemptor* generis humani. vel Complexus, qui plus Uno principaliter ſignificat. Ut, *DEUS Creator, DEUS & Natura. Dies aut Nox.*

Termi-

Terminus Incomplexus (à quo Complexus dependet) alius eſt Finitus, qui determinatè ſignificat, *Ut*, *leo.* Alius Infinitus, qui indeterminatè. Ut, *non leo*, id eſt aliud quàm leo.

Terminus Finitus eſt vel Poſitivus, qui rem ſignificat; ſive *veram*, ut *Ens*, *Canis*, *Infernus*; ſive *fiſtam*, ut, *Ens rationis*, *Cerberus*, *purgatorium.* Negativus, qui negationem rei ſignificat: ſive *abſolutè*, ut, Non Ens, Non Vita, Non Viſus. Sive *privativè*, reſpectu certi ſubjecti, cui res negata per naturam debet ineſſe. Ut, *Mors*, *Cæcitas.*

Terminus deniq; Poſitivus & Negativus dividitur in Univocum & Æquivocum. Abſtractum & Concretum. Purum & Impurum. De quibus jam.

III. Ratione Vulgati uſus.

Quomodo dividitur Terminus?

Terminus eſt *primò* Univocus vel Æquivocus.

Secundò, Abſtractus vel Concretus.

Tertiò, Purus ſeu proprius, & impurus ſeu improprius.

1. *Quis eſt Terminus Univocus?*

Qui pluribus tribuitur in eadem Significatione. Ut, Homo, *Iohanni*, *Paulo* &c. Album. *Ovo*, *Saccharo* &c.

Quis eſt Terminus Æquivocus?

Qui pluribus tribuitur in diverſa ſignificatione. *Ut*, *vox*, Gallus, *homini Gallo*, & *gallo gallinaceo*, *Roſa plantæ* & *virgini.* Quo pluribus æquivoce tribuitur, dicitur *Æquivocum*,

æquivocans; quibus verò tribuitur, *æquivoca æquivocata.*

Eſtque *Æquivocum* aliud Caſu, ἀπὸ τύχης, ſive *fortuitum.* Cùm nulla definita ratio dari poteſt, cur rebus natura diverſis idem nomen tribuatur. Ut, vox *Gallus*, *Jus*, *Taurus*, &c. aliud Conſilio, ἀπὸ διανοίας ſive *deliberatum*, ubi definita ratio ſubeſt, cur rebus natura diverſis idem nomen tribuatur. Nimirum propter *tropum*, *typum*, *analogiam*, vel *attributionem ab Uno*, & *ad Unum*. Ut, planta dicitur Roſa, *propriè*; virgo, *impropriè*. Agnus paſchalis dicitur agnus *immediatè*, Chriſtus, *mediatè*, quia per agnum Paſchalem figurabatur. Pes dicitur de parte animalis & Scamni propter *Analogiam* ſive *Proportionem*: ſicut enim ſe habet pes ad animal, ita ſe habet fulcrum ſcamni ad ſcamnum. Sanum dicitur de Cibo, Medicina, Urina, Pulſu: ſed hæc omnia *ab Uno & ad Unum*, quod eſt homo, qui ſubjectivè eſt Sanus; Cibus autem & Medicamentum dicitur ſanum, quia ſunt cauſæ Sanitatis in homine; Urina & pulſus, quia ſunt ſigna Sanitatis in homine.

* Hæc doctrina *de æquivocis* inſeritur Logicæ, non ut inſtrumentum Veritatis, ſed *ut cautela.* LOGICO, non æquè ac Rhetori, licet *æquivocis uti.* Confundunt veritatem, pariunt errorem & paralogiſmos, niſi *ex appoſitis* vocibus elucidentur. Sic, ſi dico, *Canis Cæleſtis*, terminus *ultrà non eſt æquivocus*, quia vox hæc tunc apertè nihil aliud innuit, quàm *ſidus cæleſte*, *ſeu ſtellam*, quam Mathematici, neſcio quâ Cauſsâ, *Canem* adpellarunt.

Quis eſt Terminus Abſtractus?

Qui nudam rei formam ſignificat. Ut, *humanitas*, *albedo.*

Clariùs; qui aliquid exprimit ſine notione *individui.* h. e. quando conſidero *albedinem in ſe*, non hujus vel illius parietis; *humanitatem*, non Petri vel Pauli, *ſed in ſuâ indole & præciſè.*

Forma

Forma illa per intellectum abſtracta eſt vel Subſtantialis, ut *Petreitas*, *Lentuleitas*, *Humanitas*, *Arboreitas*, *Cyatheitas*, *Menſeitas*, *Scamneitas* &c. quibus termini utuntur in metaphyſicis. Vel Accidentalis (ſumpto accidente pro quovis attributo extra-eſſentiali aut extra eſſentialiter concepto.) Ut, *Albedo*, *Cæcitas*, *Paternitas*, *Unitas*, *Omnipotentia*, *Lignum* reſpectu lignei.

Quis eſt Terminus Concretus?

Qui rem cum formâ ſignificat. Ut, *homo*, *albus*.

Rem, inquam, cum Forma, ſive Subjectum cum Attributo. Sicut autem Forma eſt *Subſtantialis*, vel *Accidentalis*: ita etiam *Concretum* aliud eſt Abſolutum, quod conſtat Subjecto & Formâ Subſtantiali. Ut, *Homo*, *Petrus*, *Lentulus*, *Cyathus*, *Menſa*, *Scamnum*. Et omnia nomina ſubſtantiva, exceptis relativis, ut, pater, filius &c. aliud Connotativum, quod conſtat Subjecto & forma accidentali vel quaſi accidentali. Ut, *albus*, *cæcus*, *pater*, *unum*, *omnipotens*, *ligneum* &c. In concretis *abſolutis* ſunt *duo* tantùm Termini, ut, homo, humanitas; in *Connotativis*, *tres*: ut, album, albedo, paries.

Quis eſt Terminus purus & proprius?

Eſt Terminus, qui ex uſu Gentium *primario id directè* ſenſu ſuo ſignificat, quod debet. Ut, *Leo*, *lepus*, *cancer*, *turris*.

Quis impurus & improprius?

Eſt Terminus, qui *indirectè*, nec niſi *denudato* ex circumſtantiis ſenſu ſignificat. Ut, *Cæſar*, quà Summam in Imperio Romano Majeſtatem innuit: *Civis*, eum, qui jure Civitatis in Republica libera fruitur, &c.

 Hic

* *Hic fons* aperitur *Hermeneutices*, ſive facultatis mentem alterius ſcripto conceptam vel ore prolatam dextrè explicandi. Intereſt enim NOSSE (*a*) quid verba *ſuapte naturâ & primariò* ſignificent; quid poſteà *in ſenſu ſequiore*, v. g. *diſcurrere* ſignificat primariò diſcurſitare, poſtmodum, ſermones cum alio ferere: quod Lexicorum & Philologiæ opus.

(*b*) Quid indigitent termini; à *certis* perſonis, certo *tempore* certa in *materia* prolati. Sic v. g. Vox πίςις, *fides*, alium *primariò* ſenſum habet *in ſacris literis*, quàm apud profanos. *Ibi* præcipuè *fidem in DEUM* & *religionem*; *hic animi verborumque ſinceritatem notat*. &c.

(*c*) Quid ex *intentione* proferentis innuant termini: quod ex antecedente, conſeq. fine, objecto, aliisque circumſtantiis perdiſcendum. Hinc proverbium: *Termini valent, ut nummi*. Hinc eſt etiam diſparitas, ut nonnunquam pro *diversâ ætate linguæ* aliter voces ſignificent, alias Ideas in mente excitare debeant. v. g. Hûc referſis eos terminos, qui *Metaphoræ, figuræ, antiquitati cuidam* involuti aliquid ſignificant, vel ex uſu Gentium perpetuo, aut proferentis arbitrio. *Profanus* indigitat hominem *à fano excluſum*, quod obſoletum; hodiè *perditum*, ἄσωτον *levis animi & improbi*. Ita *Hæreticus* idem eſt ac *Eclecticus*, qui neminis opinioni alligatur, trito apud veteres Philoſophos vocabulo: hodiè hominem à *religione vera* pertinaciter devium. In *Metaphoris* vox prius denudari debet à cruſtâ, quam Logicè cenſeatur ſignificare. v. g. *Leo* pro *forti* ſumitur, quod leones robore valeant & rarò terreantur.

II. Quot

II. *Quot ſunt Partes Logicæ?*

Tres. Prima *agit de* Notione Simplici.
Secunda *de* Enunciatione.
Tertia *de* Syllogiſmo.

Prima pars dici poteſt *Noëtica*, Conceptiva, vel Ars ſimpliciter apprehendendi: Secunda: *Synthetica*, Judicativa, vel Ars componendi & dividendi: Tertia, *Dianoëtica*, Argumentativa, vel Ars ratiocinandi. Hæ tres partes reſpondent tribus mentis operationibus. De ſingulis in ſingulis libris.

* PARTES LOGICÆ denominantur VEL ab operationibus mentis *naturalibus* & *communibus*: Quales ſunt, *Notio ſimplex* Idea & Conceptus. 2. vel *Enunciatio*, quando duo Conceptus & Ideæ in affirmativam vel negativam copulantur: vel 3. *Syllogiſmus*, cum ex duabus aut pluribus enunciationibus veritas tertia & reſultans elicitur.

VEL ab operationibus mentis *defæcatioribus*, & quæ collimant ad *eruendam*, *reſolvendam* dextrè & *proponendam* veritatem, quod METHODUS præſtat, utpote quæ docet, non tam *formare* terminos, propoſitiones, ſyllogiſmos, quam iis ſapienter *Uti* ad *FINES* modò memoratos. *Et hi ferunt in Logicâ omne punctum.*

Hoc POSTERIUS vulgò inſuper habetur, minusque, quàm par eſt, à Logicis tractatur: *Trita via* Tyroni hactenus ſufficit.

CANO-

CANONES.

1. Logica eſt *remedium* imbecillitatis noſtræ, *ſubſidium rationis*, quæ *miniſterium* habet in ſacris, non *Magiſterium*.

2. *Optimus* Logicus falli poteſt, ſed *non ut talis*, vitio *labentis* intellectus & ſtudii, *non artis*.

3. *Ars* tamen *Logica* tam *perfecta* non eſt, quæ *Luce divina* non egeat; & coarctari debet intra *veritatum naturalium* cancellos.

4. Terminus non ſemper *ex aſſe* conceptum exprimit, ex genio & paupertate hujus vel illius linguæ.

Eapropter *purificandi*, *amplificandi*, *circumſcribendi* ſunt termini, ut CLARA & perfecta IDEA menti imprimatur.

5. Intereſt ejus, qui *rectè*, *ſobriè*, & *ἀποτόμως*, *nervosè* ratiocinari velit, ut terminos priùs calleat, vel *technicos* vel *naturales*:

Aliàs orietur confuſio, cùm ex *diverſis ideis*, quas tamen differentes *eidem* termino alligant, fluat oratio.

6. Denudandi ſunt termini ab *æquivocationibus*, *variâ*, *inuſitata* & *impropriâ* ſignificatione, ſi ſolidus eisdem ſuperſtrui debeat diſcurſus. Millies

Millies peccatur ab iis, qui rationis ope Veritates aut indagant aut propagre ſtudent, aut etiam tueri ac defendere, quòd terminis utantur pro *lubitu* ſuo, illoque *ſenſu*, quem obvium ſibi & *familiarem* habent; minùs ſoliciti, quomodo alter accipiat. v. g. *Satisfactio* aliud quid ſignificat apud Pontificios, quàm noſtros Theologos. *Servitus* aliud notat apud vulgum aliud penes JCtos. &c.

7. Connitendum eſt, ut Ideam habeamus CLARISSIMAM, *vel rei, vel conceptus* alterius, cum quo ſermones miſcentur.

Prius neceſſe eſt: quoniam ut cæcus de Colore judicare nequit, ita multò minùs homo ratiocinari circa rem *nondum probè perſpectam*. *Poſterius*, ne in ludibrium vertatur ſermo, ſicubi alter de *nigro*, alter de *albo* verba fecerit.

8. CLARITAS Idearum ex *rebus non ſemper* poteſt obtineri.

Quod fit *non linguæ* ſemper vitiò, aut deficientis *Experimenti*, cum uno obtutu ſcire quis poſſit, quid *Lux*, quid *guſtus* ſit, quod nullâ linguâ & circumſcriptione inexpertis explanari poteſt; Sed *noſtræ imbecillitatis*, quæ in pauciſſimarum rerum *Effectus* penetrat.

9. *Abſtracti & Concreti Uſus maximus eſt in Theologia.*

Unde B. *Lutherus*, notante Dn. *Chemnitio*, divinitùs factum eſſe dixit, ut Uſus & diſcrimen vocabuli Abſtracti & Concreti in Eccleſia locum obtinerent. De quibus in Theologia.

CAPUT II.

Caput II.

De
NOTIONE SIMPLICI.
In Specie de Conſentaneis ſive Prædicabilibus.

Quid eſt Notio ſimplex?

Notio ſimplex eſt Conceptus rei abſque affirmatione vel negatione cognitæ. Ut, *Cœlum*.

* NOTIO vocatur, quoniam cognoſcitur inde aliquid: SIMPLEX, quia *Ideam cum Ideâ*, *conceptum* cum *conceptu* non componit, nec *affirmativè nec negativè*. Aliàs plures Ideæ conjungi poſſunt, citra tamen actum judicii. v. g. *Miles fortiſſimus, qui in Ungaria diu conflixit cum barbaris, ingentemque prædam reportavit* &c. Hæc omnia deſcribunt Militem aliquem ab expeditione ſua, & hactenus expectat animus, *quid* igitur & *vel tandem* de eo affirmetur & negetur: Fortaſſe, mortuus eſt, ad majorum dignitatem elevatus eſt. &c.

Quid in Notione Simplici primario conſiderandum?

Ejus nobiliſſimæ *affectiones*.

Quæ ſunt ejus Affectiones nobiliſſimæ?

Claritas, affinitas, harmonia.

Quid

Quid eſt Claritas?

Eſt *Viva impreſſio* Ideæ ad rem adeò perſpicuè exprimendam, ut nihil ad *intellectum ejus exactum deſiderari* poſſit:

Quod obtinetur *ſtudio intellectus*, *indagatione ſeriâ*, *ſenſuum* auxilio, *diſciplinarum mediis*. Et vel maximè Definitione & Diviſione, de quibus agitur in Methodo. Tollunt autem & obſcurant Claritatem rei ipſius *difficultas*, *oſcitantia* conſiderationis, & explorationis adcuratæ *neglectus*, *præjudicium*, *Error*, quo cognoſcere aliquid & exploratum habere falsò credimus. Sic *ruſtici* rariſſimè aliter rem deſcribere poſſunt & cognoſcunt, quam ab externâ *figurâ*, *quantitate*, *colore*, *motu*, &c.

Quid eſt Affinitas?

Eſt Conjunctio quædam notionum, quâ ſe *Genus*, *ſpecies*, mutuo *reſpiciunt*, ut *cauſſa*, *effectus*, *adjunctum*, aliisve modis.

* V. G. *Juſtitia* & *virtus*, *mutuò* ſe reſpiciunt ut *genus & ſpecies*: item, *Pes* & *animal*, *Vita* & *homo*, *Deus* & *Creatura*: item, *Virtus & vitium*, *Lux* & *tenebræ*, *Pax* & *bellum* &c. Multa etiam de *Conſentaneo & diſſentaneo grammatico*, de conjugatis &c. hic tradunt Logici vulgares.

Quid eſt Harmonia notionis?

Eſt affectio, qua notio cum notione conſpirat, ut facilè *Combinatio* per *affirmationem* inde reſultare poſſit.

Sic

Sic *Virtus* & *juſtitia* eo modo ſe reſpicunt, ut probè exploratis terminis, intelligatur confeſtim, *juſtitiam ſub virtute* contineri, *fierique poſſe*, ut Combinatio affirmativa fiat hoc modo: *Juſtitia eſt Virtus*, vel *virtutis aliquid eſt juſtitia*. Hoc ipſum verò, quod de *Harmonia* dixi, ex oppoſito de *Diſſonantia* explicandum eſt, quâ conſideratis terminis *ineptitudo quædam* cognoſcitur *combinationis*, ut potius diſſidere, & *per negotionem* divelli debeant. v. g. *virtus* & *ebrietas*, *Juſtitia* & *ebrietas*, *Ingenium* & *lapis*, *plumbum* & *Pluma*.

Quotuplex eſt notio Harmonica.

Juxta Logicos communiter vel *univerſalis* vel *particularis*.

ILLA eſt, quæ in plures alias Ideas ſeu notiones ſe diffundit, & *de iis prædicari poteſt*.

HÆC: quæ intra ſe continetur, ut *individuum*.

Quæ ſunt verò notiones Harmonicæ prædicabiles ſeu univerſales?

PRÆDICABILIA vulgo ſic dicta.

Quid eſt prædicabile?

Eſt univerſale, (ſeu Notio *Harmonica univerſalis*) quod multis inferioribus commune eſt, aptumque prædicari de pluribus Univocè Diviſim. Ut, Animal *commune eſt bruto & homini*: Homo *Carolo*, *Paulo*, *Johanni &c.*

Prædicabile græcis dicitut *Categorema*, ſicut Prædicamentum, dicitur *Categoria*. Aliud a. eſt

eſt *Prædicabile*, aliud *Prædicatum*. *Prædicatum* dicitur id, quod actu de alio prædicatur: *Prædicabile* verò, quod poteſt de aliis prædicari, vel habet aptitudinem, ut de aliis prædicetur.

Vocatur aliàs Univerſale in prædicando. Eſt enim *Univerſale* aliud *in eſſendo*, aliud *in prædicando*. Univerſale *in eſſendo* eſt Unum in multis, per ſimilitudinem naturæ. Sic eadem natura animalis eſt in homine & bruto, eadem natura hominis in Petro & Paulo &c. Univerſale autem *in Prædicando* eſt Unum aptum prædicari de multis: *illud hujus eſt fundamentum*: quia enim Unum vel Una & eadem natura eſt in multis, ideò etiam poteſt dici de multis.

Debet autem aliquid dici & commune eſſe pluribus. 1. *univocè*, non tantùm ſecundùm nomen, ſed etiam ſecundùm eandem nominis ſignificationem: quo excluduntur *æquivoca*. 2. *Diviſim*: Ita ut multiplicetur in iis, de quibus prædicatur. Sic Abraham, Iſaac, Jacob ſunt homines.

Quot ſunt Prædicabilia?

Quinque: Genus, Differentia, Species, Proprium, & Accidens. Ut: Eſt 1. *Animal*. 2. *Rationis(ale)* 3. *Homo*. 4. *Riſibile*. 5. *Doctum*.

Quotuplicia ſunt Prædicabilia?

Prædicabilium Alia ſunt Synonymica, quæ prædicari poſſunt in quid: vel ſimpliciter; ut, *Genus* & *Species*: vel in Quale Quid, ut, *Differentia*. Alia ſunt Paronymica, quæ prædicari poſſunt in Quale, ut *Proprium* & *Accidens*.

In Quid, aut Quale Quid prædicari, eſt prædicari *eſſentialiter*; In Quale, eſt prædicari *extraeſſentialiter*. Termini Quid & Quale ſunt *technici*, deſumpti ex modo interrogandi. Ut: *Quid eſt Petrus?* Homo. *Quid eſt Homo?* Animal. *Quale Quid eſt Homo*, Vel *Quale animal* ratione eſſentiæ? Animal rationale. Qualis eſt homo *neceſſariò*? Riſibilis. Qualis eſt *contingenter?* Doctus.

*De cætero nota. 1. *Eſſentialiter* & *ESSENTIALE* illud dici, quod *naturam* alicujus rei conſtituit, *primumq; ejus conceptũ* ingreditur. Primus autem conceptus rei ille eſt, qui eam ſic in mente exprimit, ut, ſi *vel minimum cogitatione demeretur*, res menti objecta, vel mutilaretur, vel evaneſceret, nec *prout* ita mutilatè expreſſa eſt, *nomen rei* mereretur, quod eidem exhibetur. V. G. HOMO *partes habet eſſentiales*, quarum una demptâ natura ejus tolleretur: Eæ verò partes *aut phyſicè* ſpectantur, *aut logicè: ibi* in naturâ, *hîc* in conceptu. IN NATURA homo conſtat ex *anima rationali* & *corpore organiſato*. Si *Corpus* conſideras ſine ſpiritu rationis compote, *non hominem* contemplaris, ſed aliquid, quod & bruto, dempta externâ figurâ, *commune eſt*, i. e. *Corpus organis, & membris* inſtructum, & *principio vitali*, quod *animal* adpellatur. Si *Spiritum*: Iterum non hominem, ſed aliquid Angelo commune. Ergo Phyſicè homo eſt *Natura Compoſita ex utroque*, quale compoſitum objici menti debet, ſi hominem debeat contemplari. IN CONCEPTU a. aliquid ſiſtitur vel *in concreto*, vel *in abſtracto*. *Ibi* hominem

con-

Contemplor, *hîc* humanitatem. Si humanitatem, non opus eſt corpus, membra, ſpiritum &c. conſiderare, ſed id quo formaliter, propriè, ἀπολύτως, & primariò natura hominis conſtituitur, quod eſt *animal* & *rationalem* eſſe. *Animal* notat conceptum communem bruto, *rationale* punctum illud præciſum, quo à bruto differt humanitas. Adeoque aliud eſt quærere, QUO oonſtituitur natura hominis in abſtracto? Reſp. *ex eo*, quod commune, & quod proprium eſt, ex animali & rationalitate: Aliud, *quô differt homo* ab aliis animalibus, & τὸ ἡγεμονικὸν, ratio indigitatur, quod DIFFERENTIAM adpellant Logici.

Obiter obſervandum: Ab Ariſtotele talia proficiſci, qui non aliter, quam *à Ratione* ſumpſit hominis differentiam, quod Theologicè oppidò falſum. *Affectio* hominis eſt *ratione uti poſſe*, non *forma*. Ac pertinet utique Rationabilitas ad Mentem. Unde nuperi hominem definivere: Animal (non θηρίον, ſed ζῶον) mente præditum.

Nota 2. EXTRA-ESSENTIALE illud eſt, quod vel *phyſicè*, vel *Logicè*, vel *in abstracto*, vel *in concreto* naturam rei non ingreditur. Sunt verò *ALIQUA extraeſſentialia*, quæ nihiloſecius & *neceſſariò*, & *ſemper*, & *ſoli rei adſunt*, quod Proprium (quarti modi & verè propiium) vocant: *ALIQUA*, quæ tolli poſſunt reapſe, & *contingenter* inſunt.

CANONES.

I. Aptitudo Prædicandi eſt in ipſis rebus.

Sive Univerſalitas prædicandi fundatur in *Univerſalitate eſſendi*, de quo jam dictum. Quia enim *natura humana* ex. gr. ante mentis cogitationem eſt in omnibus hominibus, ideò *etiam apta eſt prædicari* de Singulis. Ea propter non in hominis arbitrio ſitum eſt, quid de re aliquâ prædicare velit. Si autem id fecerit, refragante naturâ rei, fallit & fallitur.

II. Modus prædicandi ſequitur modum eſſendi.

Nimirùm 1. *Si modus* ESSENDI eſt *Uſitatus*, vel *Inuſitatus*, etiam MODUS PRÆDICANDI eſt uſitatus, vel inuſitatus. 2. Si quid eſt de conceptu rei eſſentiali, etiàm prædicatur *Synonymicè*, in quid, vel quale quid: Si verò eſt extra conceptum eſſentialem prædicatur etiam *paronymicè*, in quale, & extra eſſentialiter.

* Hæc regula in *Theologiâ* uſum habet ingentem: Ibi enim fiunt prædicationes, non ex *naturâ*, ſed *revelatione* notæ, adeoque rationi imperviæ. Conf. Matth. XVI. 17. Quid enim *rationi*, quà tali, cum *Myſteriis*, quid *Ariſtoteli* cum *Chriſto*? Ea propter de prædicationibus ad *perſonam* Θεανθρώπου DEI-hominis ejusque *officium* & *communicationem* Idiomatum pertinentibus magno judicio in Philoſophia agendum eſt.

CAPUT III.

DE PRÆDICABILIBUS IN SPECIE.

1. *Quid eſt Genus?*

Genus eſt prædicabile *in quid* de pluribus *Specie* differentibus. Ut, Animal de *Homine & Bruto*, *Virtus de Juſtitia & Fortitudine*.

Qu

Quæ dicuntur Speciê Differentia?

Quæ differentiâ aliquâ ſpecificâ ſub eodem genere differunt. Sic *homo* & *brutum* ſub animali *differunt*, per *rationale*, & *irrationale*.

Quotuplex eſt Genus?

Genus aliud eſt Summum, quod nunquam Species eſſe poteſt. Ut, *Subſtantia, Accidens*. &c. Aliud Intermedium, quod reſpectu *ſuperioris* Species, reſpectu *inferioris* genus eſt. Ut, Animal *eſt genus* reſpectu hominis & bruti; *Species* reſpectu conceptus latioris, v. g. *Subſtantiæ*, quæ animal & plantam ſub ſe tanquam Species complectitur.

DIVIDITUR etiam Genus ratione Speciei 1. In *Remotum* & *Propinquum*. *Remotum* eſt, inter quod & Speciem aliud genus interjacet. *Sic* inter Subſtantiam & hominem interjacent *Corpus, Vivum*, *Animal*, quæ habent ſe ut genera magis vel minùs remota. *Propinquum*, inter quod & Speciem nullum aliud genus interjacet. Ut, *Animal reſpectu hominis*.

2. *In Univocum* & *Analogum*. *Univocum* vocant, quod à Speciebus *æquè primò* participatur, non obſtante eo, quod Una Species alterâ ſit dignior. ex. gr. Animal eſt *genus Univocum* reſpectu hominis & bruti. Quamvis enim homo ſit nobilior bruto, tamen brutum ab homine non *dependet*, h. e. brutum non eſt animal *hominis beneficio*.

Analogum verò genus dicitur, quod à ſpeciebus participatur *per prius & poſterius*, ſive ita, ut una

ſpecies ab *altera* conſpecie dependeat, *in eſſendo, exiſtendo* &c, Sic *Ens* dicitur Analogum reſpectu *Subſtantiæ & Accidentis*, *DEI & Creaturæ:* quia Accidens pendet *à Subſtantia*, *ſubjective*; Creatura, à Creatore, *effective.*

* *Analogia*, vox Græca, non tam dependentiam & dignitatem minorem hæic ſignificat, (putidum enim foret hæc talia in doctrinam de terminis includere, cum Logici non ſit judicare de *rerum* dignitatibus & ἐξοχῆ) ſed *participationem termini* rem exprimentis *inæqualem* Unde vox *Entis* inæqualiter participatur à DEO & Creaturâ, non tantum quòd hæc *effectivè* pendeat à DEO, ſed quòd *minus ſit Ens* ac DEUS: Creatura enim eſt *ens ab alio*, ac *finitum vero nibilo ſuo* commixtum; DEUS *Ens*, ſit venia verbo, *entitatiſſimum.* Sum, *inquit*, qui ſum. Sic *accidens* minimus eſt eſſendi modus, longéque *infirmior*, quàm ſubſtantia.

2. *Quid eſt Species?*

Species eſt prædicabile de pluribus numero differentibus. Ut, *Homo de Petro, Paulo* &c. Fortitudo, de fortitudine Samſonis & Alexandri M.

Quæ dicuntur numero Differentia?

Individua, & Singularia. Ut, *hic homo, Stutgardia, Roma, Bucephalus, Melampus.*

Individuum gr. ἄτομον dicitur, non quod nullo modo *poſſit dividi*, (nam & ἄτομον corpus eſt, quod extenſionem habet ex ſententiâ Mathematicorum diviſibilem in infinitum, etſi partium non perceptibilium) ſed quòd non poſſit

dividi

dividi *Logicè*, iſt eſt, non *eſt aptum prædicari de pluribus univocè*, *diviſim*, nec eſt *Univerſale*, ſed *Singulare*. Et ſic opponitur *Prædicabili*, & *Univerſali*. Suntque Individua & ſingularia *omnes res exiſtentes*. Eopſe enim, quod exiſtunt, univerſalia non ſunt, & *fixum* habent eſſendi modum, qui de *alio prædicari* nequit. Ita *Petrus* non *poteſt prædicari de Paulo*: quanquam & τὸ *Animale*, & τὸ *rationale*, ſeu mente præditum eſſe, & *humanitas* conceptu *abſtracta* prædicari queat. Et quia ſingularia ejusdem Speciei eſſentialiter conveniunt, & ſaltem exiſtentiâ differunt, eâque numerum faciunt, *ideò numero differentia* vocantur. Et exprimuntur

1. *Propriè*, id eſt, nomine proprio. Ut, *Daniel*, *Stutgardia*.

2. *Exochicè*, ſive κατ' ἐξοχὴν & per excellentiam. Ut, *Biblia* pro *Scriptura S. Semen Abrahæ*, pro *Chriſto*, *Apoſtolus* pro *Paulo*, *Philoſophus* pro *Ariſtotele*.

3. *Paraphraſticè*, ut, *hoſtis humani generis*, pro *Satana*.

4. *Demonſtrativè*. Ut, *hic homo*, *ille homo*.

5. *Monadicè*, id eſt, voce ſignificante tale quid, quod ſimile in rerum natura non habet. Ut, *Sol*, *Luna*, *Cœlum*, *Infernus* &c.

6. *Hypotheticè*, ex hypotheſi vel ſuppoſitione. Ut, *Filius Mariæ*, pro *Chriſto*; quia Maria præter Chriſtum alium filium non habuit; *Filius Philippi Macedoniæ Regis*, pro *Alexandro*.

7. *Vagè*. Ut, *aliquis*, *non nemo*, *quidam*. Eſt Individuum ſaltem ex Intentione dicentis, quæ

uſum habent in *omni genere diſciplinarum*, & in *Rhetoricis* magnam partem dilucidantur.

Quotuplex eſt Species?

Specierum alia dicitur *Subalterna*, quæ infra ſe habet aliam Speciem. Ut, *Animal reſpectu hominis:* Alia *Infima*, quæ proximè ſub ſe habet Individua. Ut, *Homo reſpectu Petri.*

3. *Quid eſt Differentia?*

Differentia eſt prædicabile de pluribus Specie vel numero Differentibus in quale quid. Ut, *Rationale, reſpectu hominis.*

* Hoc eſt: *Differentiam* vocamus *formale* illud, quo res aliquâ ab alterâ *intrinſecè* differt: Ut τὸ *rationale* vel *mente præditum eſſe* hominem ab omni alio animali proximè diſtinguit. Talis verò *differentia* prædicari poteſt & enunciari de Specie quæ homo UT SIC, & *Paulo*, qui individuum eſt, ut *aliquid ad Eſſentiam pertinens*, ſed per modum QUALITATIS pronunciandum. *Hic eſt ſenſus definitionis.*

Differt autem res à re 1. *remotè per accidentia.* Sic homo doctus differt ab indocto. Æthiops ab albo. 2. *Propinquè*, per *propria*: Sic leo & aſinus differunt per rugibilitatem & rudibilitatem. 3. *Proximè*, per *formam eſſentialem*, quæ facit, ut res non tantùm ſit altera, ſed etiam alia, & certa Entis ſpecies. Hæc eſt hujus loci.

Quotu-

Quotuplex eſt Differentia?

Differentia alia eſt *generica*, Sive latior Specie. Ut, *Senſitivum, reſpectu hominis*; alia *Specifica*, ſive æqualis Speciei. Ut, *rationale, reſpectu hominis.*

Differentia generis non reciprocatur cum Specie. Sic poſſum dicere: *Omnis homo eſt ſenſitivus*; ſed non reciprocè: *Omne ſenſitivum eſt homo.* Sed *Differentia Speciei* reciprocatur cum Specie. Sic licet dicere: Omnis homo eſt rationalis. Et, Omne rationale eſt homo.

4. *Quid eſt Proprium?*

Proprium eſt prædicabile de Subjecto in Quale neceſſariò & reciprocè. Ut, *Riſibile de Homine.*

Hinnibile de Equo; Diviſibile, de Quanto; Par & Impar, de Numero, Unum, de Ente; Omniſcium, de DEO &c.

Subjectum proprii dicitur πρῶτον δεκτικόν, ſive *primum receptivum.* Sic Calor eſt in Igne tanquam in πρώτῳ δεκτικῷ. Eſtque proprium aliud *Unitum*, quod ſolitarie reciprocatur cum ſubjecto. Ut, *omnis homo eſt riſibilis.* Et: *Omne riſibile eſt homo.* Aliud *Disjunctum*, quod ſub disjunctione oppoſiti cum Subjecto reciprocatur. Ut, *Omnis numerus eſt par vel impar.* Et, *omne par vel impar eſt numerus.*

Quot modis dicitur aliquid Proprium?

Quatuor modis. Accidit enim aliquid

1. Soli (Speciei) non Omni (Individuo.)
2. Omni, non Soli.
3. Soli, & Omni, ſed non Semper.
4. Soli, & Omni, & Semper. Ut, *Homo.* Eſt 1. Medicus. 2. Bipes. 3. Ridens. 4. Riſibilis, *idem.*

Includuntur his verſiculis:

Soli, non omni: Non ſoli, ſed tamen Omni:
Soli, Omni, haud Semper: Soli, Omni, & *Semper inhærens:*

Sed ſola *Propria Quarti Modi* ſimpliciter propria dicuntur. Quoniam in illis eſt 1. univerſalitas individuorum, 2. Speciei & 3. perpetuitas temporis.

Ad propria verò Secundi modi pertinet, quando in materia de Perſona Chriſti dicimus, naſci, pati, mori, edere, bibere &c. eſſe propria humanæ naturæ, in contradiſtinctione ad propria Divinæ Naturæ.

5. *Quid eſt Accidens?*

Accidens eſt Prædicabile de Subjectis ſuis in Quale contingenter. Ut, *Album reſpectu parietis.*

Quotuplex eſt Accidens?

Accidens aliud eſt *Commune*, quod nullo certo ſubjecto determinatum eſt, ac affirmari vel negari poteſt de ſubjecto ſine contradictione in adjecto. Ut *homo eſt peccator.* Fuit enim aliquando homo ſine peccato, & erit ſine illo Beatus. *Albedo reſpectu Sacchari, Ovi, Chartæ* &c. aliud *Proprium*, quod certo Subjecto definitum eſt. Ut, *Ridere, Loqui, in homine.*

CANO-

CANONES.

I. Prædicatum Prædicati eſt etiam Prædicatum Subjecti.

Canon *eſt maximi* Uſus. v. g. *Petrus* eſt HOMO: hic ſubit vicem prædicati: at *de homine iterum prædicatur*, quod ſit *animal* & *ſubſtantia.* Ergò vi hujus Canonis etiam de Petro prædicari debet, quod ſit *animal & ſubſtantia.* Verùm intellige de prædicatis *eſſentialibus* & *neceſſariis*, non de iis, quæ ACCIDUNT.

II. Genus prius eſt Specie.

Logicè: adeoque non *tempore*, ſed *ordine* conceptûs. Genus enim & Differentia conſtituunt Speciem. Conſtituens a. prius eſt Conſtituto.

III. Plus eſt in Specie, quàm in Genere, & viciſſim.

Intellige *diverſo reſpectu.* Nam plus eſt in Specie, quoniam hæc differentiam addit generi. Plus iterum eſt in genere, quàm in ſpecie, quoniam *virtualiter Species ſuas* includit.

IV. Eadem Differentia eſt Diviſiva & Conſtitutiva.

Diviſiva reſpectu Generis, quod dividit; *Conſtitutiva* reſpectu Speciei, quam cum Genere conſtituit.

V. Propria intelliguntur de Potentia, non de Actu.

Sic

Sic *potentia ridendi eſt proprium hominis;* riſus verò *eſt accidens proprium.*

* Excipe *tales potentias*, quæ nunquam non ſunt *in actu.* Ut *potentia motus* in Corde & Spiritibus animalibus, qui nunquam ceſſat durante hominis vita.

VI. Propria poſſunt communicari.

Non per *egreſſionem* è ſubjecto ſuo proprio; ſed per *Unionem* cum alio Subjecto. *Sic calor* (vulgato Ariſtotelicorum Exemplo) ineſt igni primò & per naturam, ferro autem ignito ineſt per Unionem cum Igne.

Uſum præſtat egregium hic Canon apud *Theologos*, quorum eſt è Sacris paginis aſſerere *Carni Chriſti*, ſuppoſitâ unione perſonali, *communicationem divinorum Idiomatum*, quæ facta eſt non *meris titulis à perſonæ dignitate* derivatis, ſed *verâ participatione*, nec citra injuriam neganda.

VII. Accidens poteſt *adeſſe* vel *abeſſe*, absque Subjecti *Deſtructione.*

Adeſſe, abeſſe, Deſtrui, hîc intelligenda ſunt, non *phyſicè*, ſed *logicè*: ita, ut *adeſſe* idem ſit, quod *affirmari*; *abeſſe*, idem quod *negari.* Eſtque ſenſus hic: *Accidens* ſive *de Subjecto affirmetur*, ſive *negetur, id nihil derogat eſſentiæ rei*, vel *conceptui ejus quidditativo.* Unde dicitur: *Subjectum Accidentis ſtat ſub oppoſito.* Sic *Ovum* eſt Ovum, ſive concipias ut album, ſive ut non album, vel etiam nigrum.

* Adeoque licet Æthiopi *nigredo* phyſicè demi nequeat, citra deſtructionem, nihilominus accidentium in claſſe erit. Quod *peccatum* non adſit *ſine Subjecti detrimento*, itidem eſſentiæ hominis minimè nocet, quæ ſalva eſt, utut *peccato*, *morbo* ſive morali ſive phyſico, *veneno, vivicomburio*, pereant individua. Id vult canonis explicatio.

VII. Mo-

VIII. Modi prædicandi Inuſitati cum Uſitatis non ſunt confundendi.

* Profanus eſt atque impius, qui cothurnum prædicationis Logicæ *ad res ſacras* adcommodare auſit: Et quidem 1. In Mysterio Trinitatis, ubi vel *Subſtantias* tres, vel totidem *Individua* nominare piaculo ſit, non præeunte Sacra *Scriptura* neque SS. *Patribus* ab Eccleſiâ probatis. *Perſonæ* ſunt adpellandæ, *tres unius Eſſentiæ*. Reliqua captum ſuperant, nec patiuntur fideles animæ perduci ſe ad ſteriles nugas & παραδιατριβὰς διεφθαρμένων ἀνθρώπων τὸν νοῦν, I. Timoth. VI. 4. 5. Idem 2. dixerim de Mysterio Unionis Personalis. *Sileat ratio* & obſtupeſcat, cum audit enunciationes planè *inſolentes*: *Verbum caro factum eſt; Dominus gloriæ eſt crucifixus*. &c.

Tantum id nota, quòd

1. *In Eſſentia Divina datur alius & alius* (ἄλλος καὶ ἄλλος) *non aliud & aliud* (ἄλλο καὶ ἄλλο) id eſt: dantur diſtinctæ perſonæ, non diſtinctæ eſſentiæ; ſed una eſſentia in tribus perſonis ſubſiſtens.

2. *In perſona Chriſti datur aliud & aliud, non alius & alius.* Id eſt: dantur Diſtinctæ Naturæ, non diſtinctæ Perſonæ; ſed Duæ naturæ in Una perſona ſubſiſtentes.

Sequuntur

Schemata Prædicabilium.

Ad

Ad Captum Tyronum.

Genus ſummum.

Subſtantia.

Species. --- Intermediæ --- *Species.*

Spiritus. Specie differentia. Corpus.

Genus intermed.

Corpus.

Species --- Intermediæ --- *Species.*

Simplex -- Spec. differ. -- Mixtum ſeu Compoſitum.

Genus Intermed.

Mixtum.

Species. --- Intermediæ --- *Species.*

Non vivum Spec. differ. Vivum.

Genus Intermed.

Vivum.

Species. --- Intermediæ --- *Species.*

Planta - Specie differentia - Animal.

Genus intermed.

Animal.

Species. Intermediæ. — *Species.* Infima.

Brutum - Specie differentia.-Homo.

Species infima.

Homo.

Individuum. — *Individuum.*

Adam Numero differentia Eva.

2. Sche-

2. Sebema omnium Prædicabilium.

		Genus ſummum. Subſtantia.			
Proprium. Immortale.	*Differentia.* Immateriale.	*Species.* Spiritus.	*Species.* Corpus.	*Differentia.* Materiale.	*Proprium.* Extenſum.
		Genus. Corpus.			
Proprium. Riſibile.	*Differentia.* Rationale.	*Species.* Homo.	*Species.* Brutum.	*Differentia.* Irrationale.	*Proprium.* ἀγέλαστον.
	Accidens --- Abnegator -	*Individuum.* Petrus.	*Individuum.* Maria	*Accidens.* --- Caſta.	

CAPUT IV.

DE PRÆDICABILIUM REPRÆSENTATIONE PER PRÆDICAMENTA.

Quid eſt Prædicamentum?

Prædicamentum eſt CLASSIS rerum per genera & Species qualitercunque diſpoſitarum, ad eò promptiùs inveniendam terminorum aptitudinem in apprehendendo, prædicando, diſcurrendo.

Obſervandum I. quòd *ſit CLASSIS, ſeries, ordo atque diſpoſitio rerum* conceptui objectarum, ſecundum genera & ſpecies, *arboris inſtar genealogicæ* vel aliis modis elaboranda. *II. Finis eſt* non ſaltim *memoriæ* ſubſidium, *ſed & Logici officii promptitudo*, ut ex ordine & ſitu ſtatim intelligatur, quid generis, quid Speciei loco haberi debeat, quid diſcriminet Speciem, genusque dividat, quid neceſſariò, vel contingenter inhæreat, ut inde facilitentur operationes rationis, quamque ad claſſem rerum referri unumquodque Ens ſive *naturale*, ſive morale, aut artificiale, (tranſimus hoc loco myſtica & ſupernaturalia) vel notionale ſit, referri vel per ſe, vel in analogia debeat, colligi facilius queat.

Scimus,

Scimus, alios, quidquid in nobis eſt idearum, ad ſubſtantias, modos & relationes referre. Hi tamen veteribus, uſu certe non carentibus, & ſua ſe facilitate commendantibus uti juventutem patientur.

Quot ſunt Prædicamenta?

Decem: Unum Subſtantiæ, & novem Accidentium, *juxta illud*:

Summus Ariſtoteles trutinando cacumina rerum,
In duo diviſit, quicquid in Orbe fuit.

Numerus Prædicamentorum denarius numeris Pythagoræorum nititur, quibus nihil perfectum viſum, niſi denario conſtaret.

Recenſe decem illa Prædicamenta?

Subſtantia, Quantitas, Qualitas, Relatio, Actio, Paſſio, Quando, Ubi, Situs, Habitus, *Ut:*

1. *Arbor.* 2. *longa.* 3. *calore.* 4. *patrem.* 5. *refrigerat.* 6. *uſtum.* 7. *Cras.* 8. *Ruri.* 9. *Stabit:* Sed 10. *tunicatus* erit.

Redigi poſſunt *Novem accidentia*, ceu totidem generalis conceptus τȣ̃ accidentis, modi & Species, ad *numerum anguſtiorem* & magis judicioſum. Sæpe tamen conſultius eſt antiquis frui, quam noviter excogitatis vocabulis, idem dicere quod veteres intellexere, circulosque præter neceſſitatem turbare. Sunt de cætero prædicamenta ſex priora velut primaria, quorum utilitas negari nequit, reliqua minorem, aliquam tamen præſtant commoditatem.

Noldius ad quinque redigit. *Qualitatem*, *motionem*, *quando*, *quantitatem* & *relationem*. Quilibet hic abundare poteſt ſuo ſenſu. Cæterum ignorari non debet, Carteſianos *accidentia* penitus *negare*, nec niſi *modos* Subſtantiarum ſtatuere, inque *materia motum*, *è motu* vero diverſimodè ſpecificato & à *Legibus* ſuis determinato varia naturæ *φαινόμενα*, quæ *qualitates* adpellamus.

CANONES.

& Obſervationes.

1. Quæ ſunt in Prædicamento, *naturaliter* ſciri debent, non ex *Revelatione*.

Quod conſtat ex *primævo* haruncce *Claſſium* inſtituto: neque enim *Porphyrius* aut Stagirita Oraculi alicujus divini fuit conſcius.

2. Accidentis *prædicamentalis* & *prædicabili* penè eadem eſt conditio, cum Eſſentiæ ſuperveniant: ut *aurum poculo*, vel *poculum aureo*. Conceptibus enim hæc talia dignoſcuntur: quandoquidem ad *eſſentiam poculi* non pertinet plumbum vel aureum eſſe; neque ad *eſſentiam* auri, in poculi formam dilatari. Tantùm hoc intereſſe poteſt, ut *prædicabile accidens* quà *modum prædicandi* reliquis opponatur, *prædicamentale*, quà *modum eſſendi*.

3. *Summa principia* Metaphyſica cum *Prædicamentis* non debent confundi.

Ratio eſt: quod Metaphyſicæ ſit *ſummarum Veritatum axiomata* condere. v. g. non datur *linea infinita*, *nulla materia cogitat*. Omne *extenſum di-*

vidi

vidi poteſt. Corpus *omne eſt extenſum*, uti & *atomus*, *quia Corpus* &c. Logica verò *Loculos* tantummodo & nidos ſtruit, & rerum & conceptuum, inde per *abſtractiones* diverſis modis formandorum.

In Prædicamentis quædam ſunt 1. Directè, ut *Genera* & *Species*. *Quædam* 2. Indirectè, ut *Differentiæ*, quæ latus ſuæ ſpeciei ſtipant. Quædam 3. Reductivè; ut *Propria* & *Accidentia prædicabilia*; item, *Aggregata* & *Partes*, quà partes. *Propria* enim reducuntur ad ſuum ſubjectum; *Accidentia* & *Aggregata* ad ſuam formam; *Partes* ad Totum.

CAPUT V.
DE
SUBSTANTIA ET ACCIDENTE.

Quid eſt Subſtantia?

Subſtantia eſt ens per ſe ſubſiſtens. Fundamentum, quod accidentia ſuſtinet.

Quid eſt Accidens?

Accidens eſt ens Subſtantiæ inhærens. *Ut*, *Scientia motus*. Sic Auri accidens eſt fulgor partium.

*Hic operoſiſſimas nugas agunt *Scholaſtici*, Tyroni ſat eſto cognoſcere.

1. quod SUBSTANTIA, *quid ſit*, ægrè cognoſcatur. Saltim omnis *Spiritus* & *materia* Subſtantia eſt, reliqua ei inſunt. 2. *Subſiſtere* ſignificat,

quaſi *per ſe ſtare*, & ſuis Eſſentiæ fulcris inniti, *ſine alterius adminiculo*, qualiter *modi* & *accidentia* conſiſtere non valent. *Color* non eſt niſi in pariete, &c. *Colorem ſine baſi* nemo concipit. 3. τὸ *per ſe* negat *indigentiam ſubjecti*, cui *innitatur*, cui *INHÆREAT*, **Ein ſelbſtändiges Weſen.** dabimus exemplum.

Quicquid Deus creavit, illud eſt Subſtantia ſuis Accidentibus concreatis quaſi veſtita & exculta. Ex. gr. *Cœlum, terra, Sol, ſtellæ, aqua, ignis, plantæ, animalia, metalla* &c. ſunt Subſtantiæ; ſingulis autem hisce ſua quædam inſunt Accidentia, ut *Cœlo, rotunditas*; Soli & Stellis, *lux*; terræ *fertilitas*; Aquæ, *humiditas*; Igni, *calor* &c. Illud ergò Ens, quod alteri *ineſt* vel *inhæret*, nec ſine aliquo, vel *extra aliud* poteſt exiſtere, dicitur ACCIDENS; Illud verò, *cui* aliud inhæret *& ineſt*, dicitur SUBSTANTIA.

Quotuplex eſt Subſtantia?

Subſtantia alia eſt prima, ſive ſingularis. *Ut, Petrus.* Alia Secunda, ſive Univerſalis. *Ut, homo, animal.*

* Clarius, *Prima* Subſtantia eſt *individuum. Secunda* conceptus *Subſtantiæ ab individui notione* abſtractus.

Quotuplex eſt Accidens?

Duplex: Separabile, quod à Subſtantia facilè ſeparari poteſt. *Ut, ſtare ab homine.* Et Inſeparabile, quòd à Subſtantia naturaliter ſeparari nequit. *Ut, Nigredo à Corvo.*

* Separabilitas hîc innuitur *Phyſica*, non Logica: *ergò poſſet hâc diſtinctione ſuperſederi!* Sic *proclivitas ad peccandum* eſt accidens Eſſentiæ humanæ, ſed inſeparabile Moraliter.

CANO-

CANONES.

I. Nulla Subſtantia eſt in Subjecto. (*inhæſivè.*)

Patet! quia Subſtantiæ ESSE eſt *per ſe ſubſiſtere:* quomodò inhæreret, h. e. *aliter non conſiſteret*, niſi alterius entis adminiculo ſuffultum?

II. Subſtantiæ nihil eſt contrarium: ſed ſuſcipit contraria, (*ſucceſſivè*) Sic aqua & ignis ſibi contrariantur non ratione Subſtantiæ, ſed qualitatum.

Ita nec *Diabolus* DEO & Chriſto eſt contrarius, ut *Subſtantia*, ſed ut Subſtantia deficiens, & *peſtilentiſſimo in DEUM odio imbuta.* Eapropter Subſtantia, quæ *DEI creatura*, bona eſt, manetque, ſed *perverſio* & *ſcelus* Creaturæ adhærens abominationem commeretur & pœnam.

III. Subſtantia una non eſt magis Subſtantia, quàm altera. Sic homo doctus non eſt magis homo, quàm indoctus.

IV. Aliud *Subſtantia* eſt, áliud *Perſona.*

HÆC *Subſtantiæ* conceptui addit, ex vulgato ſenſu Philoſophorum, *incommunicabilitatem.* Sed conſiderandum (*a*) *diſcrimen* non cognoſcendum fuiſſe, niſi ex Myſterio & *Trinitatis* & *Incarnationis.* (*b*) In Chriſto *duæ* ſunt *Subſtantiæ*, *unum perſona unum* ὑφιστάμενον. Divina natura per ſe *completa eſt*, & ſubſtitit *ut perſona*, ut λόγος, totâ æternitate. Acceſſit humana natura divinæ *non ut perſona*; ſic n. duæ *perſonæ* fuiſſent; ſed ut *Subſtantia incompleta* hactenus, quod deeſſet ὑπόστασις, quam

quam proinde perſona τȢ λόγȢ in ſubſiſtendo terminat, ut humanitas ex ἀνυποϛάτῳ fiat ἐνυποϛατος, Joh. I, 14. (c) Quid ὑπόϛασις *perſonalitas* ſit, ægerrimè expediunt *Patres Græci & Latini.* Fortè non ineptè dicitur conſiſtere in *radice & principio actionum completo.* Quale erat in λόγῳ per incarnationem, *in illo* actionum *ultimam radicem* & τὸ ἡγεμονικὸν *principium* habuit ad ſtabiliendam utriusque & diſſimilis naturæ *harmonieam*, inconfuſam tamen *unitatem.*

V. Accidentis eſſe eſt ineſſe.

* Ergò Species in Sacramento nunquam *ne momento quidem* erunt ſine baſi ſubſtratæ Subſtantiæ. *Contra Romaniſtas.*

VI. Accidens dicitur de Subjecto, & eſt in Subjecto. In quo differt à *Subſtantia*, tum *prima*, (individuo utpote non-prædicabili) quæ nec eſt in Subjecto, nec dicitur de Subjecto; ſed eſt Subjectum eorum, quæ dicuntur, vel inſunt: tùm à Subſtantia *ſecunda*, quæ dicitur *de* Subjecto, ſed non eſt *in* Subjecto.

CAPUT VI.

DE QUANTITATE.

Quid eſt Quantitas?

Quantitas eſt Accidens, quo Subſtantia eſt extenſa: ut *triangulum.*

Ex-

Extenſio eſt formale Quantitatis, quam conſequitur diviſibilitas & menſurabilitas. Accedit & intenſio ut: aqua novam calori partem recipiens, non externe quidem, attamen interne fit magis quanta.

Carteſiani Materiæ naturam in *Extenſione* collocant. Extenſum autem eſt, quod *habet partes extra partes.* Cogita verò partes, *diviſionis aptitudinem* habes, ſaltem per DEI potentiam. *Menſurari* nequit, niſi quod ſenſui obnoxium.

Quomodo dividitur Quantitas?

In Continuam & Diſcretam.

De Continua agit *Geometria*; de Diſcreta *Arithmetica.* Eſt verò diviſio hæc æquivoca, quia Quantitas Diſcreta eſt unum per Accidens.

Quid eſt Quantitas Continua?

Magnitudo. ut, *Longitudo*, quæ vocatur linea: *latitudo*, quæ ſuperficies: *profunditas*, quæ corpus mathematicum vocatur. ad quæ referuntur *Tempus* & *Locus.*

Magnitudo dicitur, cujus partes uno *termino communi* copulantur. h. e. cùm partes invicem cohærent mirificis naturæ modis, vel firmiter *adhærendo*, vel *implicando*, vel *colligando*, glutine quaſi & vinculo unionis intermedio. *Terminus* dicitur aliquod indiviſibile, quod eſt finis unius, & principium alterius, Sic in Linea datur *punctum* medium: Ipſaque nihil eſt, *quàm fluxus punctorum* ſe invicem contingentium.

Linea eſt Quantitas *tantùm longa* citra latitudinem ut, *pertica.* *Superficies* eſt Quantitas *longa &*

ga & lata. ut, *Semita. Corpus*, Mathematicè tale, ſive Corpulentia, eſt Quantitas *longa, lata* & *profunda.* ut, *Cubus, Conus.*

** Exemplum de *perticâ* & *Semitâ* datur, non ad *ἀκρίβειαν Mathematicam*, cùm *linea nullam omnino latitudinem, ſuperficies* nullam profunditatem habere debeat, ſed ad *captum puerorum.* De reliquo *Tempus & Locum* ad *Quantitatis Prædicamentum* referunt, illud quidem ad longitudinem: hunc ad latitudinem, quatenus Locus conſideratur, ut Superficies; Tempus, ut extenſum per Succeſſionem. De quo alibi docetur.

Quid eſt Quantitas Diſcreta?

Multitudo ut, *Numerus* & *Oratio.*

Multitudo eſt, cujus partes communi Termino non copulantur, ſed à ſe invicem *ſecretæ* ſunt atq; *ſejunctæ.* ut, *ſi numerum in partes dividas*, tot ſunt partes à ſe invicem diſcretæ, quot unitates.

Numerus accipitur vel in *abſtracto*, & dicitur Numerus *Numerans*, eſtque Ens rationis; vel in *Concreto*; & dicitur Numerus *Numeratus*, eſtque Ens per Accidens.

Oratio vel conſideratur ſecundum *numerum Syllabarum*, & ſic ad numerum pertinet; vel ſecundum *quantitatem* & *tractum ſyllabarum*, & ſic eſt ens rationis; vel *ſecundum ſonum*, & ſic ad Qualitatem ſpectat.

CANONES.

I. Quantitati nihil eſt contrarium. *Per ſe*; ſed 1. *Qualitativè.* Qualitas enim eſt *ſuſceptibilis contrarietatis*, non quantitas, quæ in extenſione conſiſtit, additionis & imminutionis capace, quod fit *adjectione* partium aut *ſeparatione.* Sic linea lineæ per ſe non eſt contraria, ſed linea alba contraria eſt nigræ. 2. *Relativè.* Sic magnum opponitur parvo, id eſt, quantum cum exceſſu illius, quod exceditur.

II, Quan-

II. Quantitas non recipit magis & minùs ſed majus & minus. *Magis & minùs* dicunt intenſionem & remiſſionem quoad gradus, & ſpectant ad Qualitatem; *Majus & minus* verò dicunt extenſionem & diminutionem, quoad διάςασιν, & pertinent ad Quantitatem.

III. Secundùm Quantitatem dicitur aliquid *æquale* vel *inæquale*.

Æqualitas quidem & Inæqualitas ſunt *Relativa*, ſed *fundamentum* eſt ex Quantitate. Sic *homo bicubitus inæqualis eſt tricubitali.*

Caput VII.
De
QUALITATE.

Quid eſt Qualitas?

Qualitas eſt Accidens, quo Subſtantia apta eſt ad agendum vel patiendum. Ut, *Pietas, Sapientia, doctrina.*

Aliæ enim qualitates *actionem* notant, ut *Calor in igne.* Aliæ *paſſionem*, ut corruptibilitas. Sic tamen intellige *paſſionem*, ne dolorem concipias, ſed id quod *actionem quamcunque* ſuſcipere & ferre aptum natum eſt.

Quot ſunt genera Qualitatum?

Quatuor: 1. Potentia & Impotentia naturalis. 2. Diſpoſitio & Habitus. 3. Qualitas patibilis & paſſio. 4. Forma & Figura.

Quamvis hæc quatuor juga ſint, non differunt

tamen *ſpecie*, ſed *gradu*, vel *duratione*, vel diverſo *reſpectu* tantùm: Ne quid dicatur de *inſufficientia enumerationis*.

1. *Quid eſt Potentia Naturalis?*

Potentia eſt qualitas innata, qua Subſtantia ad agendum vel patiendum magis redditur idonea ut, *bona indoles* (εὐφυΐα)

Potentia judicandi, dicendi, videndi & ſic porrò. Quorſum & per analogiam referuntur potentiæ morales, ut; jus ambulandi per alterius hortum: jus occupandi hæreditatem: jus primogenituræ.

Quid eſt Impotentia Naturalis?

Impotentia eſt qualitas innata, qua Subſtantia ad agendum vel patiendum minùs redditur idonea. Ut, *dura Indoles* (ἀφυΐα)

Impotentia non dicitur hîc abſolutè pro *non-potentia*; ſed reſpectivè, pro *minori potentia*. Sic *viſus viſu* eſt perfectior, homo homine *aptior*, *promptior* & *felicior* ad ſtudia; ad poëſin, ad oratoriam, ad aliquam artem &c. Sic *Canis* cane naturâ agilior, & proclivior eſt ad curſum, ad venationem &c. *Ager* agro eſt fertilior, *arbor* arbore &c. Propter *naturalem potentiam* à Craſi vel temperamento Compoſiti oriundam, fortiorem vel debiliorem.

2. *Quid eſt Diſpoſitio.*

Diſpoſitio eſt qualitas, perficiens potentiam & impotentiam naturalem *inchoativè*, Ut, *Imperfecta cognitio Logicæ; Ars in Tirone.*

Quid eſt Habitus?

Habitus eſt qualitas, perficiens potentiam & impotentiam naturalem *conſummativè*.

ut

ut, *Perfecta cognitio Logicæ*; *Ars in Magiſtro.*

Diſpoſitio eſt affectio quædam *imperfecta* & *inchoata*; *Habitus* verò, *perfecta* & *conſummata*. Unde *HABITUS* id propriè habet, ut *firmiter* Subjecto ſuo *inhæreat*, ſitque *difficulter mobilis*, vel *permutabilis contrario*: *DISPOSITIO* verò Subjecto infirmiter inhæret, & eſt *facilè mobilis*, *levique* de *cauſa permutabilis* contrario. Sic Logica in Tirone eſt *diſpoſitivè*, in Magiſtro *habitualiter*.

Cæterum quivis intelligit, quod *artis initia* non æquipolleant *complemento*; & difficilius evelli *arborem* annoſam, & radicibus altis hærentem, quàm frondem vix terræ commiſſam. In Spiritualibus repente quis fit malus, ex *docto* ſpiritualiter *cæcus*, ex *bono perverſus & viciſſim.* e gr. *Adamus*, *Saulus* & *Paulus.* Etiam morborum vi repente deficit *memoria*, *robur*, *agilitas*.

Cæterum eſt habitus vel *infuſus*, vel proprio *labore adquiſitus*, vel mixtus. Rurſus vel corporis vel animi, & quoad animum vel practicus, qui voluntatem vel perficit, vel corrumpit, ut virtus aut vitium: vel theoreticus, qui intellectum in cognitione perficit, & in operatione acuit; ut ſcientia & Sapientia, quæ & voluntatem attingit.

3. *Quid eſt Qualitas Patibilis?*

Patibilis eſt qualitas afficiens potentiam cognoſcitivam, vel appetitivam *conſtanter*. *Ut rubedo ex temperamento orta.*

Quid eſt Paſſio?

Paſſio eſt qualitas, afficiens potentiam co-

cognoſcitivam vel appetitivam *tranſitoriè. Ut, rubedo ex pudore nata.* Würckliche Leidenſchafft.

Paſſio hîc non opponitur *Actioni*, ut in Quinto Prædicamento, ubi dicit receptionem formæ; ſed *Qualitati Patibili*, quatenus hæc afficit *conſtanter*, illa *leviter* tantùm & breviter. Sic in Sanguineis *rubedo*, in Cholericis pallor eſt patibilis Qualitas; Contrà *rubedo* in Cholericis, & Pallor in Sanguineis eſt paſſio. Tàm Patibilis autem qualitas quàm Paſſio afficiunt vel *ſenſum*, ut, *Sapor, odor.* &c. vel *Appetitum*, ut, *amor, odium* &c. Breviter: ſunt objecta ſenſuum tam externorum ut color, ſapor &c. quàm internorum, omnesque affectus, qui reperiuntur in appetitu ſenſitivo, amor, ira, miſericordia.

Quid eſt Forma & Figura?

Forma & Figura eſt ſpecies rei exterior, à determinatione materiæ & quantitatis orta, *Ut, ſpecies vel effigies poculi aurei.*

Hæc ſpecies Qualitatis nihil aliud eſt, quàm *ſuperficiaria rei ſpecies*, quæ, quatenus ex *determinatione materiæ* oritur, *Forma*; quatenus ex determinatione *Quantitatis*, *Figura* dicitur, id eſt, **die Geſtalt / oder Bildung und Anſehen eines Dings.**

OBSERVATIO ad Magiſtros.

Poſſunt hæc a docente breviter, ac facilibus exemplis proponi. Oſtendi inprimis heic decet (*a*) quantum differant Habitus *Theoretici* & *Practici*, *Phyſici* & *morales*. (*b*) *Virtutem* non tam *ex habitu*, quam *ſtudio* & *proæreſi* coli debere, (*c*) *Impotentiam* labore & conatu indefeſſo, junctis ad DEUM *precibus* frangi debere. &c. (*d*) quid ſint potentiæ morales, ut jura vel congenita, vel adquiſita.

CANO-

CANONES.

I. Secundum Qualitates Subſtantia Subſtantiæ eſt 1. *Contraria*, 2. *Similis*, vel *diſſimilis*. 3. *Magis* vel *minùs* talis. Sic 1. *pius* eſt contrarius *impio*, propter pietatem & impietatem. 2. *Ovum ſaccharo* eſt ſimile propter albedinem. 3. *Aquâ aqua* eſt magis vel minùs calida.

II. Diſpoſitio via eſt ad Habitum, ſed in diverſis rebus diſpar.

Facile vergit *ad habitum inclinatio vitioſa*; Sed *in bono* difficillimè confirmamur, & *aſper* eſt ad *Virtutem* capiendam gradus. Hinc omni contentione allaborant pia ingenia, ut à labe ſcelerum immunia *ad ſolidam Virtutem*, & contra ſeductiones *obfirmatam* graſſentur.

CAPUT VIII.

DE

RELATIONE.

Quid eſt Relatio?

Relatio (die Beziehung/) eſt Accidens, quo unum primò ad aliud refertur, *&* *dicuntur* Relatum & Correlatum.

Relatio dividitur in Relationem *Realem* & *Rationis*, Relatio *Realis* eſt, cùm aliquid refertur ad aliud citra mentis fictionem; talis eſt Relatio *inter Patrem & Filium*, *Præceptorem & Diſcipulum*, *Album & Album* &c. *Rationis* eſt, cùm aliquid refertur ad aliud per mentis fictio-

ctionem. Talis eſt Relatio inter *Paulum & Apoſtolum Gentium*, inter *latus dextrum & ſiniſtrum* in columna &c.

Relatio REALIS alia dicitur *Secundum Eſſe*, & eſt inter illa, quorum unum *primò ad aliud refertur* & reſpicit aliud, ut *purè terminum*, ita, ut Uno Relatorum exiſtente alterum coëxiſtat. Alia *Secundum Dici* & eſt inter illa, quorum unum reſpicit aliud, *non ut purè terminum;* nec, uno exiſtente, alterum neceſſariò coëxiſtit. Sic *Paternitas* nihil eſt, niſi purus reſpectus gignentis ad genitum. At *Scibile* primò eſt res *abſoluta*, deinde involvit *reſpectum* ad *ſcientiam*. Pater & Filius neceſſariò coëxiſtunt; at ſcibile poteſt eſſe, etiamſi non ſit ſcientia; viſibile, etiamſi non ſit viſus &c.

Relatio ſecundum Eſſe & Dici alia eſt *Prædicamentalis*, alia *Tranſcendentalis*. Relatio Prædicamentalis eſt, quæ fundatur in *Accidente*. Talis Relatio eſt inter Præceptorem & Diſcipulum, quia fundatur in *potentia informandi*. *Tranſcendentalis*, cujus fundamentum non eſt Accidens. Talis Relatio eſt inter *Creatorem* & *Creaturam*, quia fundatur *in potentia Creandi*, quæ realiter eſt ipſa Eſſentia DEI. De Relationibus *Myſticis* inter Perſonas Divinas agunt Theologi.

Quid eſt Relatum?

Quod refertur ad aliud. ut, *Præceptor.*

Quid eſt Correlatum?

Ad quod refertur aliquid. ut, *Diſcipulus.*

Ex quibus conſtituitur Relatio?

Ex Fundamento & Termino.

Quodnam eſt Fundamentum Relationis?

A quo incipit Relatio. *Ut Nathan, quatenus informans.*

* *Informatio* enim *eſt id*, propter quod Nathan habet σχέσιν ad *Salomonem*, ut *Præceptor*. Cognoſcendum enim eſt, Relationem eſſe *minimam entita-*

entitatem, ut Scholaſtici loquuntur, neque conſiſtere niſi *in ordinatione* unius rei ad aliam, quæ varii eſt generis, nullumque ens datur in univerſo, quod infinitas σχέσεις non ſuſtineat. Sic *Vermiculus in caſeo* habet relationem ad DEUM tanquam *Creatorem*, ad caſeum tanquam *ſubjectum*, ad ſemen ſeu *ovulum* tanquam *principium*, ad patremfamilias, tanquam *poſſeſſorem*, ad menſam, tanquam *locum* &c. Huc referſis *officia*, *quantitates*, (e.g. ulnam & pannum, ejusdem longitudinis) *actiones*, *habitus*, & talia infinita, quæ ad aliud ordinantur. Tantùm hoc intereſt *in* Relationibus, ut quædam ab *inventione* & *luſu* ingenii pendeant, quædam à *natura*, *conditione*, *motu*, *officio*, *ſcopo* & *operatione* ipſius rei. Hæc autem omnia ex uſu æſtimanda ſunt.

Quis eſt Terminus Relationis?

In quo finitur Relatio. *Ut*, *Salomo*, *quatenus informatur*.

Fundamentum & *Terminus* nihil aliud ſunt, quàm *duo Subjecta*, ſecundum rationem fundandi conſiderata. Sic Nathan, quatenus *actu* informat, vel informavit; Salomo, quatenus *actu* informatur, vel informatus eſt, referuntur ad invicem, ut *Fundamentum* & *Terminus*: Ita ut *ratio fundandi*, vel *fundamentum Relationis* proximum in Nathane ſit informatio *activa*; in Salomone paſſiva, ſive Informationis *Receptio*.

Quotuplicia ſunt Relata?

Duplicia: Naturalia & Poſitiva.

Quæ ſunt Relata Naturalia?

Quæ fundantur in ipſa natura, h. e. actionibus & officiis à natura citra hominis inven-

inventionem ordinatis. *Ut, Relatio inter patrem & filium; Avum* & *Nepotem*; *Fratrem & fratrem, Fratrem* & *Sororem: Inter ſimilia, diſſimilia; æqualia, inæqualia* &c.

Quæ ſunt Relata Poſitiva?

Quæ fundantur in hominum inſtituto. ſc. actionibus, officiis, à mortalium *ordinatione* profectis, qualia ſunt *opificia, officia Civilia, Eccleſiaſtica, Oeconomica*: item *artium* variarum χέσεις ad commoda humani generis inventarum. Cæterum Relatio disquiparantiæ (diverſis deſignata nominibus) eſt *inter Regem & Subditum: Paſtorem* & Auditorem; *Sponſum* & Sponſam; *Emptorem* & Venditorem; *Tutorem*, & Pupillum; *Statuam*, & perſonam, cui erecta eſt ſtatua. Relatio æquiparantiæ eſt eos inter, qui idem utrimque habent nomen: ut Vicinus, Collega, Commilito, Frater.

CANONES.

I. Relata ſunt ſimul naturâ.

Id eſt, poſito uno Relatorum *formaliter in eſſe relationis*, ponitur & alterum. Ut, poſito Domino, ponitur ſervus; & poſito ſervo, ponitur Dominus. Sic Pater, quà Homo, prior eſt Filio; ſed quà Pater, ſimul eſt cum Filio. Unde non ſequitur, utrumque relatorum *neceſſariò exiſtere* debere. Nam v. g. maritus etiam refertur ad *defunctam conjugem*.

II. Cognito uno Relatorum, cognoſcitur & alterum. Qui novit filium, novit etiam Patrem (Joh. 8, 18.) ut cognito, *Iſaacum* eſſe *filium*, cognoſco illum *habere patrem*.

CAPUT

Caput IX.
De
ACTIONE ET PASSIONE.

Quid eſt Actio?

Actio (das Thun:) eſt Accidens, quo facultas Subſtantiæ activa in actum deducitur. *Ut, Calefactio, ambulatio, locutio.* Eſt vel *tranſiens*: quæ in alio extra agentem terminatur; ut loqui cum alio; vel *immanens*, ut loqui, audire cum ſe ipſo. Quæ diſtinctio confundi non debet cum diſtinctione inter actionem *externam*, ut: enunciare, & *internam*, ut: cogitare.

Quid eſt Paſſio?

Paſſio (das Leyden) eſt Accidens, quo Facultas Subſtantiæ paſſiva in actum deducitur, ſive exercetur. *Ut, Calefitio.*

Actio & Paſſio non ſunt duo Accidentia, ſed unius Accidentis diverſi reſpectus v. g. *Calefactio, quatenus* progreditur ab igne, dicitur, *Actio*; quatenus *recipitur* in aqua, dicitur *Paſſio.*

Obſerv. In Subſtantia operante tria concurrere. 1. δύναμιν, ſive potentiam & facultatem agendi, quam vocant *Actum primum*. 2. ἐνέργειαν, ſive ipſam actionem, à Subſtantia, mediante agendi facultate editam, quæ proinde *Actus ſecundus* dicitur. 3. ἐνέργημα, ſive opus, quod ad operationem vel actum ſecundum conſequitur. Ex. gr. in Igne eſt δύναμις vis & facultas calefactiva, & hic

& hic eſt *actus primus*: Hanc vim exerit ignis, dum agit in aquam, quæ actio dicitur *actus ſecundus*: Ex hoc ſequitur *opus*, ſive *effectus*, ut aqua fit calida, quæ antè fuit frigida. Et ſicut in igne eſt *vis calefaciendi*, à qua ipſa calefactio, ita in aqua eſt *vis* calefiendi, à qua ipſa calefitio &c.

CANONES.

I. Actiones & Paſſiones ſunt Suppoſitorum.

Subſtantia dicitur Subſtantia *ultimatò completa*, h. e. non Subſtantia duntaxat, qualis etiam *manus*, *digitus*, *caput*, *inque eo cerebrum eſt*, ſed talis Subſtantia, *quæ ad aliud non ordinetur*, ſed per *ſe ipſam completè conſiſtat*, ut *principium actionis*, & *paſſionis*. Sic lapis eſt unum ſuppoſitum: Si comminuatur in fruſta, ſingula iterum ſunt *ſuppoſitum*: Manus præciſa *fit ſuppoſitum*, putredinis paſſioni obnoxium, niſi dixeris fuiſſe *virtualiter*, cum vivo brachio etiamnum cohæreret.

En Exemplum! Sic Petrus eſt *Suppoſitum*, & Actiones vel Paſſiones Petro Accidentes non tribuuntur Animæ vel Corpori Petri, *ſed Petro ipſi*. Hinc non dico: *anima* Petri ſentit, ſed *Petrus ſentit*. Non dico: *manus Petri* hoc ſcripſit, *ſed Petrus*.

Diſtinguendum tamen inter Principium *Quo* & *Quod*. Principium *Quod* dicitur Suppoſitum vel Perſona, quæ aliquid agit. Principium *Quo* dicitur pars Suppoſiti, & Cauſa Actionis proxima. Sic *homo* intelligit, ut Principium *Quod*, *Anima* hominis ut Principium *Quo*. *Petrus*, loquitur ut Principium *Quod*; *Os Petri*, ut *Quo*. Gubernator eſt ID QUOD gubernat navim: ID QUO gubernat, duplex eſt. Manu enim id peragit & temone. Quo exemplo rem hanc eleganter exponit Ariſtoteles de

de Anima II, 50, & I, 64. ad quem locum videri meretur Themiſtius. Altius hoc argumentum deduxit Jo. Damaſcenus, qui in Chriſto *Principium quod* vocat ἐνεργῶν, illudque dicit eſſe ὑπόστασιν: *principium* autem *quo* τὸ ἐνεργητικὸν, ſive naturam, ex qua actio prodit. de Orthod. Fide III 25. quæ ob uſum in theologia obſervanda. Cæterum Suppoſitum & perſona differunt *Subjectis* cùm perſona ſit *ſuppoſitum* intelligens ſeu *cogitans*.

II. Actio recipitur non per modum imprimentis, ſed per modum receptivitatis Subjecti.

Limus dureſcit, & *Cera* liqueſcit, uno eodemque igni.

Caput X.

De

QUATUOR RELIQUIS PRÆDICAMENTIS: QUANDO, UBI, SITU ET HABITU.

Quid eſt Quando?

Eſt accidens inferens durationem finitam, quâ quid dicitur eſſe IN TEMPORE. Ut, *hodie, heri, cras.*

Duratio ſtatuitur triplex: *Æternitas*, durationis *ſine ſucceſſione, initio, & fine, poſſeſſio*, quæ Deo; *Ævum*, duratio *fine carens*, & *ſucceſſiva*, quod Spiritibus creatis: Et *Tempus*, quod rebus aliis creatis tribuitur, eſt *menſura motus corporum cœleſtium*

ſecundum prius & poſterius. Prædicamentum Quando *dicit habitudinem rei in tempore.*

Quid eſt Ubi?

Eſt *Spatium definitum* cui Creatura adeſt. Ut, *Romæ, in Templo, in aëre medio, in tertio cælo.*

* Adeoque DEUS non eſt *in Ubi*, quia eſt omnipræſens, *nullo ubi* vel loco capiendus, includendus. *Ubi* non eſt *locus*, qui ſignificat ſpatium *materiale Corpori coëxtenſum*, illud ambiens, aut ejus præſentiâ expulsâ materiâ implendum. Spiritus non eſt *in loco*. *Ubi* autem vulgo ſtatuitur vel *Repletivum*, quod Deo; *Definitivum*, quod Spiritibus; Et *Locale*, quod Corporibus aſſignatur. Prædicamentum Ubi dicit *habitudinem rei in ſpatio & loco.* Locus eſt vel naturalis, vel violentus, vel proprius, vel communis.

Quid eſt Situs?

Diſpoſitio partium ad locum & partes loci. *Ut, ſtare, cubare.*

Situs differt ab Ubi; *Ubi* enim dicit ſimpliciter habitudinem rei in ſpatio vel Loco; At *Situs* addit *modum ſpecialem.* Ut; *ſtare, jacere, ſupinum, pronum, aſſiduum, accubuum eſſe* &c.

Quid eſt Habitus?

Adjacentia Indumenti, ſive integumenti, naturalis, vel artificialis. Ut, *togatum, annulatum, catenatum eſſe.*

* Nota: *birſutum, crinitum eſſe*, non ſpectat ad habi-

habitum, ſed quæ exterius ut *ornamenta, munimenta, veſtimenta, impedimenta* adjacent.

CANONES.

I. Quando, Ubi, Situs & Habitus non recipiunt contrarietatem, nec magis & minus.

* Nota: hic Canon intelligendus eſt *de præſentia rei finitæ*. Aliàs quoad Subſtantiam *magis præſentem* fieri poſſe DEUM fidelibus ſtatuunt Theologi. Anima *intimè* fit præſens corpori *per Unionem* & *operationem*, quam ἐντελέχειαν vocat Stagirita, vocabulo, quod ipſe *non noſſet explicare*. Fxtat Monlorii conatus de ἐντελεχείᾳ. Auſus etiam Cicero eſt vocem interpretari per continuatam ac perennem motionem, 1. Tuſculan. Sed Ariſtoteles 3. phyſic. ἐντελέχειαν fecit genus motus.

II. Nihil eſt in tempore & ubi, quod non ſit Ens finitum.

Deus enim *Ens infinitum* poſſidet vitam ſuam SIMUL: neque æternitas *partes* durationis habet *internas*, ſive prius & poſterius, utut *virtualiter* durationi ſucceſſivæ commenſurari poſſit. Deus dicitur in Ubi, non *quoad Eſſentiam*, ſed *operantis magnificentiam*, uti in Cœlo, terra: quanquam *nullum Ubi ſit, ubi non ſit*, etiam quoad *Eſſentiam*.

Caput XI.
De
DISSENTANEIS, DISPARATIS ET OPPOSITIS.

Actum eſt hactenus *de Harmonia* & *Affinitate* terminorum, actum etiam de eorundem Loculis. Agendum jam erit vi contrariorum De Dissonantia, & quemadmodum terminus à termino *diſſideat*: Quod fit vel *diſparatè* vel *oppoſitè*. Inde oriuntur quæſtiones.

Quid eſt Diſparatum?

Quod aptum eſt, negari de multis æquè. Ut, *Linea de calore, colore, lapide* &c.

Negari) In quo differt à Prædicabili, quod aptum eſt affirmari.

De multis) quia eſt Terminus cum pluribus pugnans *generaliter*.

Æquè) Ita, ut cum uno non pugnet magis vel minùs, quàm cum altero, quatenus Diſparatè ſumitur, & eodem repugnandi genere. Sic Linea non magis negatur de Colore, quàm de Calore, Lapide, Auro &c.

Si quis cognoſcere velit diſparatorum CLASSES,

Ecce! juxta prædicabilium ordinem eas nonnemo ſic ediſſerit: Diſparata, inquit, ſunt, *quæ nullam habent inter ſe connexionem, unde ſe vel inferant, vel deſtruant.* Talia Diſparata ſunt. 1. *Summa Genera*: Subſtantia, Quantitas, Qualitas &c. 2. *Species ejuſdem vel diverſi generis.* ut, Odor, Sapor, Ignis, Aer, Aqua, Terra &c. 3. *Individua ejuſdem vel diverſæ ſpeciei:* Petrus, Paulus, Maria

Maria &c. Philippus, Bucephalus, Lyciſca &c. 4. *Differentiæ diverſarum Specierum.* ut, rationalitas, longitudo &c. 5. *Propria ejusdem, vel diverſi Subjecti.* ut, Riſibilitas, Capacitas doctrinæ &c. Rugibilitas &c. 6. *Accidentia in uno Subjecto coëxiſtibilia*, vel compoſſibilia. Ut, Philoſophia, Theologia, Juſtitia, Temperantia &c. in Auguſtino. 7. *Privationes.* Ut, Cæcitas, Surditas, Tenebræ, Mors &c.

Quid eſt Oppoſitum?

Quòd aptum eſt negari de uno tantùm æquè. Ut, *albedo de nigredine*; *lux de tenebris.*

De uno tantùm) quia eſt Terminus cum uno pugnans *ſpecialiter*, in quo differt à *Diſparato.* cum reliquis diverſo gradu.

Æquè) Ita, ut *nulli Termino* ita repugnet, quàm huic uni, *eodem ſc.* repugnandi genere. Sic *nigredo* nulli qualitati tàm contraria eſt, *quàm albedini.*

Obſervandum autem eſt (*a*) Oppoſitorum *dari gradus*, uti in albedine & nigredine *remiſſio* datur & *excellentia.* In qualitatibus activis hoc per ſe conſtat. (*b*) Oppoſitorum LEGES attendendæ ſunt. τὸ ἀυτὸ, κατὰ τὸ ἀυτὸ, πρὸς τὸ ἀυτὸ, ἐν ἀυτῷ χρόνῳ. h. e. *idem*, *ſecundum idem*, *ad idem*, *eodem tempore* debet opponi. Sic Æthiops *idem*, ſecundum *idem*, dentes, *eidem* homini, h. e. Europæo, *eodem* tempore, cum nigredinem ille non contraxit, opponi debet. Aliàs vacillat oppoſitio & fit Luſus, & *Sophismatum ergaſterium.*

Quot ſunt genera Oppoſitorum?

Quatuor: Contrariè, Relativè, Privativè & Contradictorie oppoſita.

Ex his priora duo *Poſitivè*, poſteriora *Negativè* opponuntur.

Quæ ſunt Contrariè oppoſita?

Duæ Qualitates in eodem Subjecto incompoſſibiles. Ut *Calor*, & *Frigus*; *Virtus* & *Vitium*; *Avaritia* & *Liberalitas*; *Caro* & *Spiritus*.

Incompoſſibiles) Ita, ut ſe invicem expellant, niſi alterum *inſit naturâ*. Fieri enim poteſt, ut Subjectum non ſit *ſuſceptivum* contrariorum, quia alterutrum *ineſt naturâ*. *Sic calor* ignis non poteſt expelli *per frigus*, nec ignis eſt aptus ſuſcipere calorem & frigus *ſucceſſivè*. Secus ſe res habet in aqua, quæ naturaliter frigida, calorem admittit.

OBSERVANDUM.

Quædam *ἐμμέσως mediatè*, quædam *ἀμέσως immediatè* ſibi invicem opponi CONTRARIE. Illa *viam* quaſi & *Medium* admittunt, donec ab uno extremo ad aliud perveniatur. e. g. Inter frigus & calorem intercedit *tepiditas*. Fierique poteſt, ut *illud medium* participet de extremo *utroque*, *aut alterutro*, vel *ſecus*. IMMEDIATE ſibi contrariantur, quæ medium non admittunt; ut inter *jus* & *nefas* nihil datur interjacens propoſitâ Lege, quæ nihil permittit eſſe *ἀδιάφορον*, *indifferens*.

Quæ ſunt Relativè Oppoſita?

Relatio & Correlatio. ut, *Paternitas* & *Filiatio*; *Pater* & *Filius*.

Huc referſis ea, quæ ad Prædicamentum pertinent Relationis.

Quæ ſunt Privativè Oppoſita?

Habitus & Privatio. ut, *Vita* & *Mors*; *Vivens* & *Mortuus*.

Habitus

Habitus hîc *non* ſignificat affectionem perfectam, ut in Prædicamento *Qualitatis*; nec Adjacentiam rei ad Corpus, ut in Prædicamento *Habitus*: Sed præſentiam formæ poſitivæ IN SUBJECTO HABILI. *Forma* autem dicitur hîc omne id, quod Subjectum denominat. Ut, *viſus*, *auditus*, *opulentia*, *vita*, *ſanitas* &c. tanquam aliquod Subjecti perfectivum. Et *ſubjectum habile* illud dicitur, quod *capax eſt formæ* & *oppoſitæ privationis*. Sic *viſus* dicitur *forma*, *Cæcitas* eſt Privatio *formæ*; *Animal* eſt Subjectum utriusque *capax*; At de Lapide inſulsè niſi *Poëticè* dixeris, eum eſſe cæcum, quia non eſt Subjectum *habile viſûs*. Sicut enim Habitus dicit *præſentiam formæ* in Subjecto habili vel capaci: ita Privatio non dicit *nudam abſentiam & negationem rei*, ſed abſentiam & negationem rei in tali Subjecto, quod formæ oppoſitæ eſt *capax*; Sive abſentiam formæ in Subjecto habili.

Quotuplex eſt Privatio?

Privatio alia eſt *Totalis*, quâ & Potentia (tam remota, quàm proxima) & Actus tollitur, ut Mors: Alia *Partialis*, quâ tollitur vel Actus tantùm ſecundus, ut, *Lipothymia*, *Somnus* &c. Vel Actus ſecundus & potentia proxima, non Remota. Ut, *Cæcitas*, *Surditas* &c.

Quæ ſunt Contradictoriè Oppoſita?

Ens & non-ens. Ut, *Lapis*, *non Lapis*.

Oppoſitio Contradictoria alia eſt *Formalis* & *Ex-*

 plicita,

plicita, quæ particulâ negativâ, Non, exprimitur, ut Leo, non-Leo: dicitur Oppoſitum in Oppoſito. Alia *Virtualis* & *Implicita*, quæ negandi particulam tacitè involvit: Ut, *atramentum rubrum*; Spiritus *corporeus*; σιδηρόξυλον, (vid. tamen Jo. Raejus de tali apud Indos ligno, quod ignorant Logici) ein hölzernes Schüreiſen / ein ſilbernes Zinn / eine roſtige Helleparte. Dicitur *Oppoſitum in Appoſito*, vel, Contradictio *in Adjecto*.

NOTA.

* *Virtualis* & *implicita* Contradictio reperitur ubivis, ſi ſcilicet *affirmantur* aliqua de ſubjecto, quæ *immediatè* ejus naturam deſtruunt, & *illud* quod affirmatio volebat inferre. v gr. *Æternitas ſucceſſiva*, tempus *æternum*, omniſcius *ratione* utitur, Ens perfectiſſimum *deſiderat*, &c. Tolerantur autem ſæpe ſæpius phraſes ejusmodi, quod vel *uſu* invaluerint, vel *ab ignorantia* terminorum oriantur, re ipſa dextre intellecta.

CANONES.

I. Diſſentaneum uſitatè, poteſt eſſe Conſentaneum inuſitatè, ut, *DEUS & Homo*, *Virgo & Mater*, *uſitatè ſunt* Diſſentanea.

** Hoc indicio eſt, contradictoria non *realia*, ſed quæ rationi ſibi relictæ *ſic videantur*, ſalvari poſſe potentiæ divinæ ſummo impendio. DEUM *pati* contradictionem eſſe natura judicat & ſtultitiam, quæ *ſumma ſapientia* eſt apud DEUM. Ita nec, quæ differentibus *ex diverſa Ideâ* videntur contradictoria eſſe, talia ſunt, uti fit tota die.

II. Diſparatum de Diſparato non poteſt prædicari in *abſtracto* & *recto*, utut poſſit in

concre-

concreto & *obliquo* caſu. *Sic non poſſum dicere: Philoſophia eſt Theologia;* vel, Juſtitia eſt Temperantia. *Poſſum tamen dicere: Philoſophus eſt Theologus;* Juſtus eſt temperans.

III. Oppoſita non inſunt eidem ſubjecto.

Intellige ſecundum *idem*, eandem *partem*, eodem *modo*, eodem *tempore*: ut docent LEGES oppoſitionis.

IV. Contraria, quæ medium admittunt, intelliguntur de gradibus excellentibus, non remiſſis. Sic poteſt aqua eſſe remiſsè *calida & frigida*, at non ad gradus *Octo*: hoc eſt; ſummos & extremos. Ponunt enim vulgo totam latitudinem caloris octo gradibus compleri, eumque ſummum eſſe calorem, qui tot gradibus conſtet.

V. Privatio tollit Habitum.

Et in quibusdam non datur REDITUS ad Habitum, niſi per *ſummam DEI potentiam*, ut viſus *cæco*, vita *mortuo non redit*. Aliter ſentiendum de iis, ubi juxta *viam* naturæ vel *ſtudio* adhibito redire poteſt *res privatione* amiſſa, ut *Memoria* in ægroto, & *ſanitas* per medicinam.

VI. Quodlibet eſt, aut non eſt. Et: Idem non poteſt ſimul eſſe & non eſſe. Ac demum: omne quod eſt, quando eſt, neceſſe eſt eſſe.

Sunt

Sunt hæc prima & ſumma principia, quibus Contradictio fundatur,' & reliqua oppoſitionis genera menſurantur. Excluditur ergò omne medium tàm *participationis*, quàm *negatioois.*

Quod autem *ſumma* perhibeantur *principia*, ſic oportet intelligi, non, quod *fili* inſtar & *originis ad* alias veritates perducant, ſed quòd refractarios adigant ad *abſurdum*, quo admiſſo finitur & ceſſat diſputatio veluti cum homine rationis experte. Dubitari tamen debet: *An Carteſianorum* illud COGITO, Ergò ſum; *principii poſitivi* indolem habeat ad alias veritates. *Occaſio* eſt, ſui notitia, Veritatum quamplurium, non *radix genuina.*

Hiſce Diſſentaneis ſubjunguntur vulgò alia, quibus fundamentum aliquod Negationis in eſſe videtur, nim. Prius, Simul, Motus & Habere.

PRIUS notatur hoc verſiculo:

1. *Tempore*, 2. *Natura*, Prius, 3. *Ordine* dic & 4. *Honore.*

Sic prior eſt 1. *Abraham*, *Davide*. 2. *Cauſa Effectu*. 3. *Primus*, *Secundo*. 4. *Rex*, *Duce*.

2. SIMUL dicitur aliquid 1. Tempore, ut *gemelli*, *ἀγχῶνοι*. 2. naturâ, ut *Relata* 3. participatione ut, *Species ejusdem generis univoti*. *Exprimitur bis verſiculis:*

Tempore nata *ſimul* FIUNT, ſimul eſſe RELATA.
Dignum eſt, *cum ſpecie* PARTICIPANDO *genus.*

3. *MOTUS* eſt *quadruplex*: ratione 1. *SUBSTANTIÆ Generatio & Corruptio*: *Generatio eſt progreſſus* à non eſſe ad eſſe; *Corruptio*, ab eſſe ad non eſſe Subſtantiæ. 2. *QUANTITATIS*, *Augmentatio & Diminutio*. *Augmentatio* eſt progreſſus *à minori* quan-

quantitate ad majorem; *Diminutio*, à majori ad minorem. 3. *QUALITATIS*, *Alteratio perfectiva* & *corruptiva*, eſt progreſſus *à qualitate una ad aliam* 4. *Loci*. *Locatio* ſeu motus localis, qui eſt progreſſus ab uno loco ad alium. Sed hæc ad Phyſicam ſpectant.

4, *HABERE* Dicitur ſeptem modis. Habetur enim aliquid ut 1. *qualitas*, 2. *quantitas*. 3. *Indumentum*. 4. *Pars* 5. *Contentum*. 6. *Poſſeſſio*. 7. *Correlatum*. ex. gr.

1. Virtus. 2. Sex ulnæ. 3. Toga. 4. Pes. 5. Vinum. 6. Aureus. 7. Uxor.

Caput XII.

De

DIRECTIONE PRIMÆ OPERATIONIS IN MENTE AD VERITATEM.

Hucusque circa TERMINOS verſati ſumus, & varias eorundem conſiderationes, *Ariſtotelicorum* more, in medium adduximus: par eſt jam meminiſſe eorum, quæ *facultatem apprehenſivam*, quæ circa terminos, eorumque nucleos, RES IPSAS, occupatur, debitis modis, qui Logicæ finis eſt, dirigunt ad Veritatem; hoc eſt ita inſtruunt, ne in *Errorum* facilè caſſes incidat, *maleq;* operetur, ſed RATIONE in agnoſcendis rebus formandisque conceptibus & terminis dexterrimè utatur.

Quod

Quod fit I. Si INQUIRATUR in IDEARUM indolem & cauſas.

II. Si Regulæ aliquot neceſſariæ proponantur ad fugiendam illuſionem, confuſionem, ſiniſtram rationis in primâ operatione adplicationem.

Quid eſt Idea?

Eſt *imago* in mente concepta, eidemque *impreſſa* per conſiderationem rei objectæ, cujus eſt *expreſſio* & *effigies*. Uſus eſt Ideæ voce Plato, eaque omnium ſpecierum objecta νοερὰ, quæ DEI hominumque intellectibus obverſari, *dicebat*, vocavit. Has rerum formas, *inquit Cicero de Orat. c. X.* appellat ideas ille, non intelligendi ſolum, ſed etiam dicendi graviſſimus Magiſter Plato, easque gigni negat, & ait ſemper eſſe, ac ratione & intelligentia contineri.

Obſerv. 1. Quando *cognoſcimus*, *concipimus* aliquid in animo, veluti per viſum rei, oculo imprimitur ejus imago. Illum conceptum, *Ideam* vocant recentiores, Scholaſtici *Speciem expreſſam*. 2. Illa Idea non ſumitur heic pro illâ tantum effigie, quæ in *Phantaſia* hæret & concipitur de rebus materialibus, per ſenſuum miniſterium in eam illapſis, ſed in genere pro omni *expreſſione viva* rei *cujusque*, quæ in ipſa intellectûs adyta transmittitur. 3. Species illa, quamprimum *intellectui*, facultati ſpirituali, committitur, *purificatur* à fæcibus materiæ, vocaturque *intellectio*

lectio pura, ſic tamen,ut illam ferè ſemper redoleat. Unde experientia docet, nos res à *materia abſtractas* aut non concipere poſſe, aut nonniſi modo *materialem Imaginem redolente*, neque, quod *ſæpè ſæpius fit*, absque omni concurſu Phantaſiæ.

UNDE naſcitur Idea?

Ab *intellectu*, re *objecta*, & utplurimum *imagine* Phantaſiæ *impreſſa*.

Obſerv. 1. *Intellectus* confert facultatem cognoſcendi, *ille patitur* impreſſiones externas rerum & imaginum, easque *purificat*, *fabricat*, elaborat: patiendo igitur *impreſſionem*, eopſe aliquid agit, hoc eſt, *cognoſcit*, quemadmodum oculus, recipiendo *ſpecies*, videt. 2. Res objicitur non ipſa, ſed per *ſenſuum effigiem*, vel de novo hic & nunc *impreſſam*, vel reductam ex *memoria*. 3. Dicitur, *ut plurimùm* naſci *intellectiones*, impuras ob imaginem Phantaſiæ: non SEMPER. Quod manifeſte probatur: *tum* quia dantur Cogitationes *innatæ*, *inevitabiles*, nec à ſenſibus ortæ: *tum*, quia datur *Cognitio* & *experientia ſui*: *tum*, quia cognoſcimus aliqua, quæ Phantaſia nullo modo per imaginem aliquam poteſt exprimere. v. g. *Corpus mille-angulare*, *cognitio reflexa cognitionis.*

QUÆ SUNT OBJECTA IDEARUM.

Omne, quod Res eſt, vel ejus MODUS.

v. g. Cognoſco non tantum Corpus, ſed etiam quod ſit *rotundum*, *mobile*, *pellucidum*.

Quo-

QUOTUPLICIS GENERIS ſunt illa Objecta?

Infinitè variant, ſed vel *materiâ carent*, aut ei immerguntur. *Illa* Spititus; *hæc* Corpora vocamus. Quibus adde varias in utriſque *determinationes* & *modos*.

Ergone etiam dantur *Objecta*, quæ *neque Spiritus* ſunt, *neque Materia*, ſed utriusque *Modi?*

Dantur in mente, ſed non à *parte rei*.

E. G. *Linea*, *triangulum*, *humanitas* citra individuationem &c. non datur à parte rei, ſed fiunt talia per *Abſtractionem*. Cæterum ſunt & inter ſubſtantias & ſubſtantias, item, modos & ſubſtantias, modos denique & modos, quædam relationes: quia conſideratio unius includit conſiderationem alterius, quæ inter, hanc ob cauſſam, *relatio* eſſe dicitur.

Quid eſt Abſtractio?

Eſt Operatio mentis, quâ ex objecto non omne *quod eſt*, ſed *aliquid ejus* cognoſcitur, factâ ejus Entitatis ſegregatæ *Ideâ* ſive *conceptu*.

Obſerv. Objectum vel eſt *totale* vel *partiale*. Si in homine, vel *hominem* contemplor, vel *manus*, *pedes*, *caput*, *animam*, *ſitum*, *ſtaturam*. Omnia hæc *res* ſunt, *aut modi* à PARTE rei, *Objecta vera*. Sed cum de abſtractione ſermo eſt, ea *decerpitur atque cognoſcitur* Entitas, quæ *à parte rei*, Objecti aliis Entitatibus intimè immerſa eſt, nec ab *ea realiter* diſtinguitur; v. g. quando in homine cognoſco τὸ *animale*, *rationale*, *vitale*, ipſam *humanitatem*, *ut formam*. Hæc à parte rei non ſeparantur, etſi

etſi intellectui dent *occaſionem ſeparationis*, ut inſtar *ſegregis Objecti* talia contempletur.

Abſtrahit etiam Geometra, quando v. c. ſeparatim conſiderat longitudinem corporis, quam vocat lineam, omiſſa tantiſper latitudine, & profunditate.

QUOMODO RES IPSÆ objiciuntur Intellectui?

Quæ *EXTRA* ſunt, *ſenſuum miniſterio*; quæ *INTRA*, per *excitationem* imaginum Phantaſiæ, aut *ſpontaneo* Intellectus ipſius *artificio*, cujus vel *cauſſam veram* habet, vel *ſecus*.

Obſerv. 1. Senſus *materialia* percipiunt, nihil aliud. 2. Imagines Phantaſiæ ſepultas *ſuſcitat*, *mutat*, *transformat* intellectus: at 3. Fabricat aliquos conceptus, ſponte nonnunquam, ſine objecto tali in mente depicto, *quod extet* à parte rei. Et hæc ſunt *Entia Rationis*, quæ duplicis ſunt generis. Aut enim nullam *occaſionem* habent à parte rei, aut *aliquam*. *Si nullam*, mera fictio eſt, ut *Centaurus*, Ens conflatum ex homine & equo. *Si aliquam*, *abſtractio eſt*.

QUOMODO FIT, ut res abſentes cognoſcantur?

Per SIGNA ſive *nominum*, ſive *aliarum rerum*, abſentia ſignificantium.

Ceſſante ſenſuum miniſterio, propter abſentiam Objecti Signa ſubeunt vicem *abſentium*, quæ ſunt

varii generis. 1. *Nomina* rerum, *deſcriptiones*, *Hypotypoſes*, quæ vel ore, vel ſcripto, verbis aliquid ex inſtituto gentium ſignificantibus, proferuntur. 2. *Signa realia* ſunt, quæ exprimunt aliquid, niſi *completè*, ſaltim, *incompletè*: ut Iris ſignum eſt gratiæ. *Leo* fortitudinis. Huc pertinent *Similia*, *Hieroglyphica*, *Comparationes* deſumptæ ab *Hiſtoriis*, *rebus*, *actionibus*, quibus omnibus ad Cognitionem rei nunquam viſæ neque *perceptæ* pervenitur.

Ideæ ſuntne ejusdem Generis?

Minimè! aliæ enim ſunt *claræ* & *diſtinctæ*, aliæ *obſcuræ* & *confuſæ*. Aliæ iterum ſunt *complexæ*, aliæ *incomplexæ*.

Quæ ſunt Ideæ claræ, & è contrario obſcuræ?

Illæ, quæ rei cognoſcendæ indolem ſic proponunt intellectui, ut nihil ſuperſit, quod *occultetur*, ut adhuc perveſtigandum, ſed ab aliis, quæ animo obverſantur, facile diſtingui queat. Contra eſt *in obſcuris*.

Obſervandum I. Aliud eſt *rem* eſſe incognitam, aliud *exiſtentiam* rei. Sæpe aliquid non cognoſcimus, credimus tamen, quòd dubitandi planè nullas habeamus rationes: ut *gloriam vitæ æternæ*, 1. Joh. III. 2.

II. Dantur claritatis & obſcuritatis *gradus*, cum temperamento aliquo *Scientiæ* & *ignorantiæ*, *Lucis* & *tenebrarum*. Unde contingit, ut ſi maxima & *potior pars* Objecti cognoſcatur, reliqua transmittantur ſecurè. Sic per Anatomiam interiora hominis *viſcera* perluſtrantur, exploratur *Situs* partium, earundem liquores & *Spiri-*

Spirituum tubuli cum cauſſis *adparentibus morborum* &c. Sed omnia nondum explorata ſunt, plurimis rebus manentibus in obſcuro. Sunt & qui ideas claras a diſtinctis ſecernunt. Illas vocant, quæ vivide nos percellunt: has quæ nihil habent obſcuritatis. Claræ ſunt omnes ideæ ſimplices, ac inprimis ſenſationes.

III. Poteſt effectuum *certitudo* & *ratio clariſſimè* cognoſci, in tenebris manſura ipſius originis & effectus *indole*. Sic Medicus novit *Spiritus* ſopire, & excitare certiſſimis modis, cum accuratà cognitione eventuum: *Quid Spiritus* ipſi ſint, uti *operentur*, ignorat. Sic Phyſicus & Mathematicus docent, *cur* & *quomodo* vultus noſtri imago reſultare debeat *ex ſpeculo in oculum*; & quòd ſit fallacia viſus exiſtimantis *imaginem eſſe in ſpeculo*. Quæ autem ſit hujus reflexionis *natura*, quid *intermedium* illud tranſiliens in Speculum, & inde in oculos, cum cæciſſimis ignorant. Et talia ſunt infinita.

IV. Notandum. Quòd conceptus *Obſcurus* Rei vocetur etiam ille, qui aliquid ab Objecto, *per abſtractionem* cognoſcit, *non omne*: Quæ abſtractio fit vel *ultrò*, vel *neceſſariò*, deficientibus ad plura cognoſcenda auxiliis: Ipſum verò quod cognoſcitur clarum eſſe poteſt. v. g. videt aliquis in littore ſtans natare aliquid in mari. *Corpus* clarè intelligit eſſe, *lignum*, aut *animal*, aut *hominem*, aut *Palinuri cadaver* eſſe, non novit, deficientibus indiciis, quæ ſenſim deteguntur.

V. Idea *Complexa* eſt, quæ plura junctim cognoſcit: *incomplexa*, quæ ſigillatim. Sic idea *Entis* ſimpliciſſima eſt, ſecùs illa *hominis*: ad eam enim exprimendam plures *Ideæ partiales* pertinent. Complexio a. iſta fit vel *extanti* modo, vel *obſcuriori*. *Illa* eſt, cùm uno obtutu intellectus conſi-

conſiderando hominem, fertur in animam, corpus, rationem &c. *Hæc eſt*, cùm aliquid contemplamur, ſub quo plura deinceps evolvenda continentur. v. g. Si dico *animal*: hoc titulo, licet obſcurè, continetur, *quicquid ſpecierum* & *individuorum* ſub illo genere venire poteſt. Sic idea miſericordiæ compoſita eſt, conſtatque ideis miſeriæ, hominis miſeri, ac alicujus, qui vicem ejus dolet.

ANNE ergo quædam claris IDEIS cognoſcuntur?

Utique: nam cognoſcimus *Exiſtentiam*, *Durationem*, *Ordinem*, *Motum*, *Numerum*, *Figuram rerum*. Etiam, quòd Deus ſit, quòd *nos ipſi*; quòd *famem*, *ſitim*, quòd *Deſiderium æterni boni*, &c. habeamus.

Sic ſenſibus infinita percipiuntur, qui ubiquè & ſemper fallere non poſſunt. Verùm innumerabilia in obſcuro cubant, ut ferè *omnes omnium rerum Eſſentiæ.*

CEDO REGULAS, *quibus prima mentis functio juvatur, ut dextrè operetur.*

I. Exuenda ſunt *Juventutis à ſenſibus orta præjudicia.*

* Præjudicium eſt falſa opinio, ſub ſpecie veri vel recti, ante debitum examen, in animum admiſſa. Differt ab errore, ut fons a rivulo. Oriuntur præjudicia generaliter ex ægritudine mentis: ſpeciatim

ciatim vel (1) ex ignorantia: (2) vel ex nimia confidentia de nobis ipſis aut aliis, unde præjudicia auctoritatis: vel (3) ex nimia diffidentia, ut eſt in Pſeudo-Chriſtianis opinio de omnimoda bene agendi impoſſibilitate: vel & ex affectibus, ambitione, avaritia, voluptate.

** Nihil certius, quàm multa *pro veris* haberi, deceptione *vulgi, ætatis*, & imperfecti *judicii*, quæ talia non ſunt. v. g. cùm creditur, vel *ignem*, vel *manum* nos urere, cùm paſſio non ſit, niſi *in Spiritu.* Quòd *Saxum* ſuapte natura deorſum tendat; quòd *lapis magneticus* ferrum attrahat. Et talia ſexcenta, quæ pertinent ad *Errores Vulgi.* Huc referſis etiam *Morales Errores*, cùm neglecta animâ felicitas in *ſenſuum Voluptate* conſiſtere creditur, cùm *vitia virtutum* numero habentur, & *viciſſim.*

II. Nunquam ingenio ſuo, neque *ſenſibus* nimiùm fidendum eſt, nedum aliorum *relationi.*

Scilicet, ſi *præcavere Errorem* ſtudioſè velimus. 1. Primò enim fallimur, *credendo* præter rationem & cauſſam, quòd *omnem diligentiam* adhibuerimus in *rei naturâ explorandâ*: neque ſemper advertimus *imbecillitatem & fraudem rationis*, quæ ne ignorantiam toties profiteri cogatur, *Sibi & aliis*, ſe rem intelligere, perſuadet. Accedit, quod *mota voluntas* intellectui præpoſterè nonnunquam *imperet*, percuſſa

cuſſa ſive per Rhetoricæ lenocinia, ſive cupidine utilitatis. 2. *Senſus* oppido *fallaces* ſunt, niſi luminis rationalis *manuductione* & *examinentur* & *applicentur*. 3. *Fama* Veritati nocet, niſi probè *munita contra credulitatem*.

III Examinanda ſunt omnia *penſiculatè*, nihilque non cognitum & inexaminatum relinquatur.

Si enim *baſis*, hoc eſt Idea, nutet, ſi rem perſpectam non habeat, quî *aſſenſus*, quî *diſcurſus* eidem queat inædificari? Unde quæ obſcurè noſcuntur, *dubium perpetuum* procreant, & *continuam formidinem* oppoſiti Erroris.

IV. In Objecto conſiderando *clara & diſtincta* ab obſcuris & confuſis ſedulò & fideliter ſejungenda ſunt.

Aliàs conceptus *ob mixturam obſcuri* nunquam erit defæcatus.

V. In rebus à materiâ abſtractis conſideratio purgari debet ſtudioſiſſimè *à Phantaſiæ inquinamentis*.

Summa hæc miſeria eſt turbatæ cognitionis! Inde naſcitur *confuſio* intellectionis, & *catena errorum*, tanto magis efficacium, ſi in *axiomata* evaluerint, & *receptas ſententias*. v. g. *Spiritus* cognoſcitur per modum *ſubtiliſſimæ extenſionis*. Hinc quidam è Patribus Eccleſiæ, Angelis, imò & DEO corpus affinxerunt *Præſentia* Spiritus per modum impletionis alicujus ſpatii: *Lux* per modum *qualitatis*, cùm ejus eſſe *ſit* AGITATIO &c. Et talia infinita.

VI. Intereſt humanæ ſocietatis doctrinam

nam de *Aſſociatione idearum in Logicis exponi.*

Fit haud raro ex impreſſione per ſenſus externos factâ, ut, ſi unum iſtorum objectorum, quæ ſimul exhibita fuerunt, menti ſe objiciat, reliquorum quoque objectorum imagines, & ideæ ſtatim recurrant. Imo, ſi impreſſio vehementior ſit, è minimi haud raro objecti repræſentatione ſimilis ſtatim affectus excitatur. Cæterum, *vel* conjunguntur, aſſociantur, & connectuntur ideæ, quæ conjungi debebant: *vel*, quæ nullam ſua natura habent connexionem, adeoque conjungi, & aſſociari non debebant. Hæc poſterior conjunctio *vel fit arbitrio & ſtudio hominum*; vel *Caſu*. *Illa* manat ex educatione, vel converſatione, vel propenſione, *ubi* una recurrente idea, altera vel plures ultro ſeſe menti offerunt. *Hæc* vero fortuito licet facta, ſæpe ita vehemens eſt, ut unius, etiam minimi objecti idea recurrente, reliquorum etiam objectorum imagines menti repræſententur. Unde facile ratio redditur, cur nobis vel perſona aliqua, vel tempus, vel & locus, aliave objecta grata ſint, vel adverſa. Nempe prima recurrit idea, priſtinumque movet affectum, e. g. uno verbo moleſto vel ingrato excitatum. Docet, quantum e. g. in educatione liberorum a prima idea dependeat *Lokius*, dum v. c. ſeverus Præceptor nimio rigore diſcentium animos ab ſe reddit alienos; quando liberis ideæ non conjungendæ tanquam conjunctæ imprimuntur. Vide infra aliquid §. XI. n. 2. Si idea & q. ſ.

VII. Inquirendum ſtatim in REI & *definitionem* & *diviſionem*.

Hoc valet præcipuè, ſi de *re abſente* & ſenſibus non obvia ſermo ſit, aut ab altero nobis Idea rei cujus

cujusvis *nunquam percepta* debeat imprimi. Quæ *definitio* docet, quid ſit *commune* cum aliis rebus jam cognitis in illa re, quid *formale differentiæ* conſtitutivum. *Diviſioni* debetur purgatio nominis, ne ad *ineptam ſpeciem* ſub illo nomine contentam à cogitante adplicetur. *Anguſtiora* enim millies ſunt *nomina rebus ipſis*. Utriusque autem & *definitionis*, & *diviſionis* requiſita enucleabuntur inferiùs in METHODO.

VIII. Externæ adpellationi, ſivè definitioni nominali, inolitæve perſuaſioni nunquam eſt temerè fidendum.

Neutri enim ex his tutò fides adhibetur, cùm ut plurimum *nomenclationes* rerum ab arbitrio penè cæco pendeant; Nec *perſuaſio multitudinis* ſit argumentum Veritatis.

IX. Diligentia ſolers adhibenda eſt, ut adcuratam & diſtinctam rei, præſertim difficilis, cognitionem obtineamus.

Ad id opus eſt 1. Sapientum in illa *re informatione*, legendo, audiendo, experiendo. 2 Scrutinio ſagaci intellectus, COMPARANDO rem cum aliis rebus & trutinando, quibus in momentis *conveniant* & *disconveniant*. 3. *Elimatione* judicii per praxin, & diſciplinas illud imprimis acuentes. 4. *Longa defixione* mentis in rem eandem, aut ſæpius repetita.

X. Nunquam à *motu*, *quantitate*, *duratione* aliisque externis rectè petitur Idea Rei.

Hæc enim valde *communia* ſunt, & licet ſingulariter modificentur, *Eſſentiam Rei* non conſtituunt. Quanquam diffiteri nemo debeat,

debeat, à *Motuum ſingulari modificatione ſignum* peti luculentum, quatenus corpus à corpore, animal ab animali differat: A multis enim majus in materiatis diſcrimen haud ſtatuitur, quam *diverſum principium* motus in ſenſus incurrentis.

XI. Quæ ſenſibus exempta ſunt, & *merâ intellectione* perficiuntur, ſic cognoſci debent, ut animum collocent *in tranquillo.*

Tranquillitas illa, indicium perceptæ Veritatis naſcitur 1. ex eo, ſi nihil etiam ſtudio quæſitum adpareat, quod *dubium* movere queat. 2. Si *idea* cum aliis *affinibus* aptè *cohæreat* & *harmonicè* conſpiret. 3. Si in *terminis* ad *effecta*, *adjuncta*, *conſecutionem* &c. rei pertinentibus nullum deprehendatur *contradictionis* veſtigium. Vid. *Lib.* II. c. 14.

XII. Nemo habet *Ideam claram* Rei, quae *exiſtère non poſſit*, aut REI impoſſibilis.

Sic nemo *Centaurum* clarè percipit. Eſt enim contradictio in adjecto.

XIII. PASSIONIBUS nihil eſt peſtilentius ad corrumpendas Ideas.

Paſſiones autem ſunt *Ira*, *odium*, *amor*, *metus*, *reverentia*, *ſpes* &c. In *contentione* rarò obtinetur verum, obfuſcatur potiùs ſtudio vincendi. Unde qui rectas Ideas

formare velit, *pacatum examen* inſtituat; in Verba *Magiſtri* non juret.

XIV. Utrum alter alterius *Ideam* feliciter aſſequutus ſit, *in facto* conſiſtit, non *rei ipſius Veritate*, Hoc eſt: propterea res *Ideæ meæ* non reſpondet *UT VERÆ*, quòd alterius, utut doctiſſimi, ſenſa meæ menti fideliter impreſſerim.

Hinc Error peſtilens! *Veritates* in opinionibus & Ideis aliorum, qui Sapientes putantur, conſiſtere, non *rebus ipſis*, à quovis ad ſuam mentem debita & ſecurâ cogitatione transferendis,

XV. *Univerſalium* facilior eſt perceptio, (veluti etiam Objecti *incomplexi* & *ſimplicis*.) quam ſingularium.

Collecta enim ex pluribus inferiorum exemplis & uniformibus difficiliùs fallit & fallitur,

XVI. Ideam Objecti complexi conſtruere qui velit, *partium* priùs ideam elaboret.

Sic qui *Solis* Ideam velit habere, habeat priùs *Ignis luminis*, *caloris*, *corporis* &c.

FINIS LIBRI PRIMI.

LIBER

LIBER SECUNDUS,

De

ENUNCIATIONE.

Caput I.

DE DEFINITIONE ET PARTIBUS ENUNCIATIONIS.

1. *Quid eſt Enunciatio?*

ENunciatio eſt Oratio affirmans vel negans aliquid de aliquo. Ut,

Liberalitas eſt Virtus.
Avaritia non eſt Virtus.

* Quemadmodum *prima* mentis Operatio Ideas *ſuſcipit* & *fabricat*, atque per eas rem *cognoſcit*: Ita vocamus *ſecundam* operationem, quæ *Ideam cum Idea conjungit* vel *disjungit*, pro cujuslibet Ideæ *harmonia ſeu diſſonantiâ*. Illud officium mentis *Enunciationem* adpellant, quia, quod in *animo* elaboratum eſt, aliorum gratiâ *Sermone* propalamus.

Oratio autem ſimplex alia eſt *Enunciativa*, ſive *Logica*, alia *Non enunciativa* ſive *non Logica*. Oratio *Enunciativa* eſt Affirmatio alicujus *de* aliquo, vel negatio alicu-

jus

jus *ab* aliquo, verè vel falsò, de quo infra. Sic mens comparans inter ſe Petrum & currere, vel curſum cum Petro componit, judicando: *Petrus non currit.* Et hæc dicitur Enunciatio. Oratio verò *Non-Enunciativa* eſt, quæ nihil affirmat, vel negat, adeôque veritas aut falſitas ei non ineſt. Tales ſunt Orationes tùm *Grammaticæ*, quæ ſenſum non abſolvunt. Ut:

Qui cupit optatam vitæ contingere metam.
Wer will leben/ und gute Tag haben-

tùm *Rhetoricæ Affectivæ*, nimirùm

1. Optativæ. Ut:
O mihi præteritos referat ſi Jupiter annos!
O daß mein Volck ein ſolch Hertz hätte!
2. Vocativæ. Ut:
Huc ades, ô Melibœe ---
Kehre wieder du Abtrünnige.
3. Imperativæ. Ut:
Fac hoc, & vives.
Was ſoll ich aus dir machen?
3. Deprecativæ. Ut:
GOtt ſey mir gnädig!

Hæ & ſimiles Orationes, quia nihil affirmant vel negant, ex Pomœrio Orationum Logicarum meritò excluduntur, niſi in Enunciativas transformentur. Quod fieri poteſt in *Grammaticis*: ſenſum complendo; in *Rhetoricis*, Subjectum & Prædicatum rectum ſubſtituendo. e. g. *Ego opto, ego voco, præcipio, interrogo, deprecor*, ut &c.

2. *Quæ ſunt Partes Enunciationis?*

Subjectum & Prædicatum.

Equidem vulgò *Subjectum & Prædicatum* dicuntur partes *materiales*, & *Extrema, Copula* pars *forma-*

formalis: *ſed minus commodè*. Nam quemadmodum *Anima* & *Corpus* ſunt partes hominis, *non autem Unio*. Ita *Copulam* pro parte nemo habere poteſt, cum *per eandem* Idea prædicati cum illa Subjecti *jungatur*, & hæc per illam *quaſi actuetur*.

Quod eſt Subjectum Enunciationis?

De quo aliquid enunciatur. *Ut*,

Juſtitia---

Quod eſt Prædicatum Enunciations?

Quod enunciatur de aliquo. Ut,

---*Virtus*.

Subjectum & *Prædicatum*, ex doctrinâ de Terminis *libro* 1. *cap*. 1. adductis, aliud eſt, 1. *Finitum* vel *Infinitum*.

Ut: *Leo eſt Animal.*
Non Leo eſt Animal.
Leo eſt non Animal.
Non Leo eſt non Animal.

Id eſt, omne id, quod non eſt Leo, & omne aliud, quàm animal.

Omnes hæ Enunciationes *affirmativæ* ſunt. Prima eſt affirmativa *finita* ſimpliciter. Secunda eſt Affirmativa de *Subjecto infinito*; Tertia, de *prædicato infinito*. Quarta, de *Subjecto & Prædicato infinito*.

2. *In Incomplexum* & *Complexum*. Ut,
Cœlum peribit,
Cœlum & Terra peribunt.
Auguſtinus eſt Philoſophus.

Augu-

Auguſtinus eſt Philoſophus, & Theologus.
Qui credit, ſalvatur.
Qui credit & baptizatus eſt, eſt *filius* & *hæres vitæ æternæ.*

3. In *Purum* & *Mixtum*, ſive Syncategoremate affectum.

Ut, Equus *currit.*
Equus currit *velociter*;
DEUS eſt adorandus,
Solus Deus eſt adorandus;
Chriſtus eſt mortuus,
Chriſtus, *quà homo*, eſt mortuus.

Huc pertinent omnia adjuncta nominum & verborum, ſive Subjecti & Prædicati, *explicantia, reſtringentia, diminuentia, alienantia* &c. Ut:
Æthiops eſt albus - *quà dentes.*
Populus iſte honorat me *labiis.*
Multi credunt *ad tempus.*
Dies extremus veniet *tanquam laqueus.*
Homo, *qui eſt rationalis*, eſt riſibilis.
Jonathan adamavit Davidem, ut *cor ſuum.*
Omnis Homo eſt peccator à *naturâ* &c.

Sæpe autem contingit, ut Subjecto & prædicato nihil *manifeſtè* admiſceatur, quod tamen debet ſubintelligi. v. g.

Omnis ex *DEO natus* vincit mundum.
adde, quatenus & quamdiu & quia eſt ex *DEO natus.*
qui petit, accipit. Scil. qui petit *in fide* & *nomine Chriſti.*
Johannes neque edit neque bibit: ſcil. *cum hominibus.*

Qua

Quæ eſt Copula?

Verbum Subſtantivum *Sum*, *quo* Prædicatum de Subjecto enunciatur, *explicitè*, vel *implicitè*.) Ut,

Juſtitia eſt Virtus.
Homo ſapit, id eſt. *Homo eſt ſapiens.*
Vel Homo currit, i. e. *eſt currens.*

Nota. I. Copulam Sum, Es, Eſt, &c. (uti etiam in *præterito* & *futuro* prolatam,) denotare CONJUNCTIONEM duarum *Idearum* ſive conceptuum aliquid exprimentium: quæ vel *Eſſentialis* eſt vel *Extraeſſentialis*, ſecundum ac Idea prædicati cum illa Subjecti *latiùs ſtrictiusve* cohæret. II. Per illam Unionem Prædicatum quaſi *forma fit*, ſeu *actus formalis* Subjecti, ſub quo conſideratur. v. g. *Homo eſt juſtus*. i. e. habet *juſtitiam* tanquam *formam*. III. In propoſitionibus *Eſſentialibus ſeu identicis REPETITUR* quidem in prædicato, *quod eſt in ſubjecto*. v. g. homo eſt *Animal rationale* ſeu cogitans. &c. hoc tamen fit diverſo *reſpectu* & *Conceptu*. Cùm in Subjecto *ſit Confuſus*, in prædicato *explicitus* & *diſtinctus*. Ex his cognoſcitur vi Oppoſitorum, quid *Sejunctio* ſive *Negatio* ſit, quæ *Ideam ab Ideâ* ſeparat.

Quotuplex eſt Enunciato Logica?

Enunciatio *Logica* alia eſt *Imperfecta*, alia *Perfecta*. Perfecta *eſt*, *quæ ex Subjecto & Prædicato*, *in Caſu recto*, *per Verbum ſubſtantivum* (*expreſſum* vel *implicitum*) *ſecundum naturale judicandi lumen*, *unitis*, *categoricè aliquid enunciat*, *affirmat*, *vel negat*. Imperfecta *verò eſt*, *quæ aliter ſe habet*: Tales Imperfectæ ſunt.

1. Enun-

1. Enunciatio INORDINATA, ſive contra naturam; cum *Inferius* de Superiori, *Abſolutum* de Connotativo, vel *Subjectum* de Adjuncto prædicatur. Ut, *Vitium* eſt *Avaritia*. *Album* eſt *Saccharum*.

2. AMBIGUA, ſive *Amphibolica*, quæ plures gignit ſenſus æquè primos. Ut,

Ajunt, Cæſarem Gallos viciſſe.

Senſus eſſe poteſt, quod *Cæſar Gallos* vicerit: Vel, quod *Galli Cæſarem* vicerint.

3. OBLIQUA, quæ conſtat Subjecto, vel Prædicato, vel utroque obliquo. Ut,

Stultorum eſt putare.

Subditi eſt obtemperare. i. e. *Subditus eſt obligatus ad obtemperadum.*

4. TRANSPOSITA, cùm Prædicatum Copulæ præponitur, Subjectum poſtponitur Ut,

Omnia vincit amor. Pro: *amor eſt vincens omnia.*

Et *prodeſſe volunt*, & *delectare Poëtæ.*

Deus erat Verbum.

5. RELATIVA, quæ conſtat particulis Comparativis: *Quod, id*; *Quantus, tantus*; *Quantò, tantò*; *Qualis, talis*; *Quomodo ita*; *Ubi, ibi*; *Quando, tunc*; *quia, ideò*, *Ut*,

Quod tibi vis fieri, id feceris alteri.

Quantò cœlum altius eſt terrà, tantò cogitationes Domini ſunt altiores cogitationibus hominum.

Quantum quisque ſuà nummorum poſſidet arca,

Tan-

Tantum habet & fidei.
Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret.
Qualis Rex, talis Grex.
Sicut mater, ſic filia. (Ez. 16.)

6. HYPOTHETICA, quæ aliquid affirmat, vel negat, non *categoricè*, *rotundè*, *abſolutè & ſimpliciter*, ſed cum conditione: eâque vel *Optativâ*, quæ ad non-Logicas ſpectat. Ut,

Si poſſibile eſt, tranſeat de me calix iſte.

Vel *Dubitativâ*. Ut,

Si peccator reſipiſceret, poſſet ſalvari.

Vel *Impoſſibili*, quæ æquivalet Negativæ. Ut,

Si digito Cœlum tetigeris, dabo tibi filiam meam. id eſt, planè non dabo. talis eſt Jer. 31. 37.

7. DEFECTIVA, in qua reticetur vel *Copula*. Ut, *Homo bulla*, *ſcil. eſt.*

Vel *alterum extremum*, nempe *Subjectum*, ut: Eſt tranſitus Domini. Exod. 13. 9. *Tonat*, *Pluit* i. e. Cœlum. Ecce (Chriſtus eſt) *Agnus DEI*, qui tollit peccata Mundi: Aut *Prædicatum*: *Si dives eſſem*: Subintellige hoc vel illud *facerem*. *Hos ego*: malè mulctabo ſcil.

CEDO alias anomalias.

Eas ſubminiſtrant Enunciationes.

(1.) *CAUSALES*: ubi effectus prædicatur de ſua cauſa, vel cauſa de ſuo effectu. Ut,

Fides eſt Victoria. (1. Joh. 5, 4.) Pro: *fides vincit.*

F (2) *Con-*

(2.) *Concomitativæ:* in qua unum de altero enunciatur in *Caſu Recto*, propter coëxiſtentiam utriusque. Ut,

Unius generatio, eſt alterius corruptio.

h. e. *Sive* Unius generatio cauſa eſt corruptionis in altero: *Sive* poſito *uno*, ponitur *alterum*.

Dei amicitia eſt mundi inimicitia.

(3.) *Symbolicæ*; tùm *nudè ſignantes*, in quibus ſignatum Prædicatur de ſigno purè σημαντικῷ in *Recto*. Ut,

Septem Vaccæ, ſunt ſeptem anni.

tùm *realiter exhibentes*, in quibus res inviſibilis prædicatur de Signo viſibili μεταδοτικῷ, καὶ ὀργανικῷ, *exhibitivo & organico*. Ut,

Panis eſt Corpus Chriſti.
Vinum eſt Sanguis Chriſti.
Columba eſt Spiritus Sanctus.
Coluber eſt Diabolus.

(4.) *Typicæ.*

Agnus Paſchalis eſt Chriſtus.
Chriſtus eſt Agnus Paſchalis.

(5.) *Metaphoricæ.* Ut,

Herodes eſt Vulpes.
Virgo eſt Roſa.

Hæ orationes Imperfectæ in Perfectas ſunt transformandæ.

Oſtende rationem, quî *tales imperfectæ Propoſitiones* corrigi queant?

1. In *Inordinatis* attendendum, quodnam habeat rationem *ſuperioris*, vel *inferioris*; *ſubjecti*, vel *adjuncti* &c. & transformabuntur h. m.

Avaritia eſt Vitium.
Saccharum eſt Album.

2. *Am-*

2. *Ambiguæ* ab ambiguitate ſunt liberandæ, quocunque modo. Ut,

Cæſar vicit Gallos. Vel :
Fama eſt, quod Cæſar Gallos vicerit &c.

3. *Obliqui* Caſus mutentur in *rectos*, Ut :
Stulti habent in more, ut putent.
Subditi debent obtemperare.

4. *Tranſpoſitæ* ſunt tranſponendæ. ex. gr.
Amor vincit omnia.
Poëtæ volunt & prodeſſe, & delectare.
Verbum eſt Deus.

5. In *Relativis* inquirendum Subjectum, de quo prædicatur aliquid *comparativè*. Ut,

Tu facias alteri id, quod tibi vis fieri.
Cogitationes Dei ſunt altiores cogitationibus hominum tantò, quantò Cœlum eſt altius Terrâ.
Quilibet habet tantum fidei, quantum nummorum poſſidet arcâ.
Deus dilexit mundum ſic, ut filium ſuum unigenitum daret.

*Sæpius commoda fit transformatio, quando *Concretum* in *Abſtractum*, vel Adverbium in Nomen mutatur, vel Vocula *ſimilitudinis* additur. Ut,

Qualitas Regis, eſt Qualitas gregis. &c.

6. *Hypotheticarum* modus hic eſt : *Ego opto*, ut *calix iſte à me tranſeat*, ſi *eſt poſſibile.*
Peccator ſalvabitur, ſi *reſipuerit.*
Ego dabo tibi centum florenos, ſi *digito cœlum tetigeris.*

7. In *Defectivis* Copula eſt ſupplenda, & Extremum ſuppreſſum exprimendum. Ut :
Homo eſt bulla. (ſimilis bullæ)
Hic tranſitus eſt tranſitus Domini. Cœlum tonat, pluit
Hic Jeſus eſt agnus DEI, qui tollit peccata mundi.
(1) *Fides eſt Cauſa victoriæ.*

 (2) *Unius*

(2.) *Unius generatio, habet concomitantem alterius corruptionem.*
Dei amicitia habet inſequentem mundi inimicitiam.
(3.) *Septem Vaccæ ſunt ſignum ſeptem annorum.*
Panis eſt Symbolum exhibitivum Corporis Chriſti.
Columba eſt Organon manifeſtativum Spiritus Sancti
Coluber eſt Organon Diaboli.
(4.) *Agnus paſchalis eſt typus Chriſti.*
Chriſtus eſt antitypus agni paſchalis.
(5.) *Herodes eſt ſimilis vulpi* (quà aſtutiam.)
Virgo eſt ſimilis roſæ (quà ſtatum floridum.)

CANONES.

I. Subjectum & Prædicatum æſtimentur ex natura rei, non ex ſitu terminorum.

Sæpe, *quoad ſitum*, Subjectum poſtponitur Prædicato; ſicut in *Grammatica* obſervatur non ordo Topicus ſive localis, quæ vox præponatur, vel poſtponatur, ſed *ordo Syntacticus*, quid cum quo conſtruatur: ita etiam *in Logica* de Subjecto, & Prædicato judicandum eſt, *ex natura*, & *mutuo terminorum reſpectu*. Quanquam *ordinariè*, & ubi *ſtudium Veritatis* prævalet, evitandæ confuſioni, *ſitus naturalis* everti non debeat. Lux enim ordoque, quod ſatis moneri nequit, eſt CHARACTER VERI. *Quomodo* autem deprehenditur *ἀταξία*, & ordinis tranſpoſitio?

Nimirum 1. quando Terminus ad Terminum ſe habet ut *Superius* ad *Inferius*, vel ut *Adjunctum* ad *Subjectum*, tum is, qui habet rationem Superioris, vel Adjuncti, eſt Prædicatum, & is, qui habet rationem Inferioris, vel Subjecti, eſt Subjectum. Superiora ſunt Species ad Individuum, *Genus* ad Speciem. Adjuncta ſunt, *Proprium* & *Accidens*, in ordine ad Subjecta. Ex. gr. in his:

Joh.

Joh. IV. 24. *Spiritus eſt Deus.* Subjectum eſt *Deus.*
Joh. I. v. 1. *Deus erat Verbum.* Subjectum eſt *Verbum.*
Omnia vincit amor. Subjectum eſt *Amor.*

2. Quando Termini ſe reſpiciunt, ut *Differentia* & *Species*, *Definitio* & *Definitum*, *Diviſio & Diviſum*, *Adjunctum*, & *Adjunctum*, tum ratio prædicationis eſt arbitraria, & poteſt utrumq; eſſe Prædicatum, vel Subjectum, pro diverſâ intentione. Ut,

Homo eſt animal rationale.
Peccatum eſt Originale & Actuale.
Album eſt dulce.

3. Quando Termini ſe reſpiciunt *diſſentaneè*, pariter arbitrarium eſt, hoc vel illud Prædicati aut Subjecti loco ponatur: attendendo tamen naturam in ſe, id quod aliàs *Inferius* vel *Subjectum*, habet *rationem Subjecti*. Ex. gr. idem eſt, ſive dicas,

Petrus non eſt Lapis. Sive
Lapis non eſt Petrus.

Quia tamen *Lapis* in ſe eſt terminus Genericus, & Petrus *Individuum*; ideò *ſecundum hoc* naturaliùs dicitur: *Petrus non eſt Lapis.* Et ſic etiam: *Petrus non eſt doctus.*

II. Copula afficit partes, non partem.

Copula eſt vel *Principalis*, quæ Subjectum & Prædicatum conjungit, Vel *Minùs principalis*, quæ tantum Subjectum vel Prædicatum afficit. Ut,

Deus, qui *eſt inviſibilis*, eſt *Creator Mundi*, qui *eſt viſibilis.*

Primum *Eſt* pertinet ad Subjectum; Tertium ad Prædicatum. *Medium* tantùm habet *vim copulandi* Subjectum cum Prædicato; quod patet, ſi ſimpliciter ita enuncies:

Deus inviſibilis eſt *Creator mundi viſibilis.*

III. Eſt pro exiſtit implicat Copulam.

Copula aliquando à Prædicato *diſtinguitur*, & dicitur Eſt *Tertii Adjecti.* Ut, *Homo eſt Animal.* Aliquando Prædicato *implicatur*, & dicitur Eſt *Secundi Adjecti.* Ut:

Homo eſt (id eſt, eſt Exiſtens.)

Ego ſum (id eſt, ſum exiſtens) *antequam Abraham erat.* Joh. VIII. v. 58.

Paſtor eſt (id eſt, eſt exiſtens) *in templo.*

Homo ſapit, id eſt, *Homo eſt ſapiens*: reſolvendo verbum in EST cum Adjectivo.

Quando ergò Prædicatum rectum & principale à verbo *Eſt* diſtinguitur, tùm ſumitur συνδυαστικῶς, *Subſtantivè* & *Copulativè*; quando autem Prædicatum rectum ab *Eſt* non diſtinguitur, tùm ſumitur ὑπαρκτικῶς & pro *Exiſtit*, involvens τὸ *Eſt combinativum.*

IV. Copula quandoque ſumitur emphaticè. Ut:

Regnum Dei non eſt Cibus & potus. Rom. XIV. v. 17.
id eſt, non *conſiſtit* in cibo & potu.

CAPUT II.

DE

SUPPOSITIONE, STATU, ET AMPLIATIONE, TANQUAM ACCIDENTIBUS ENUNCIATIONIS.

Quid

Quid accidit Subjecto & Prædicato in Oratione vocali?

SUPPOSITIO, STATUS, ET AMPLIATIO.

Quid eſt Suppoſitio?

Suppoſitio eſt acceptio vocis in oratione poſitæ pro aliquo. Ut,

Homo eſt biſyllabum.
Homo eſt Species.
Homo eſt animal.

Suppoſitio dicitur quaſi *poſitio ſub* aliquo, vel *pro* aliquo. Eſtque poſitio vocis *loco conceptus*, ad eum conceptum ſignificandum.

Quotuplex eſt Suppoſitio?

Suppoſitio alia eſt *Materialis*, alia *Formalis.*

Quæ eſt Suppoſitio Materialis?

Acceptio vocis pro ſeipsâ literis vel Syllabis conſtante. Ut,

Mus eſt Syllaba.

Quæ eſt Suppoſitio Formalis?

Acceptio vocis pro ſuo ſignificatu, quem *naturaliter*, ἀτέχνως & ex uſu Gentium debebat exprimere; Ut,

Mus eſt Animal.

Observa. I. Vocis cujusvis duæ ſunt quaſi partes: *Prima* & *interna* denotat conceptum mentis, veluti nucleum, qui *cortice vocis* ipſum ſignificantis

cantis continetur. *Altera* literis & ſyllabis, certoque eorundem *ſitu* & *ſono* conſtat, & Grammatice conſideratur. V. G.

Vocem HOMO ſi quis audiat, confeſtim cogitatione fertur in *animal λογικὸν*: & hic eſt conceptus *formalis*. Alius fortè conſiderat, quod ſit vox *biſyllaba*, *confinis* vocabulo *humus*, *&c.* & hic eſt conceptus *materialis*. *Scholaſtici* ad determinandum conceptum materialem particula, *ly*, *alii* articulo Græco, τὸ, utuntur.

II. Suppoſitio *Formalis* dividitur in *Simplicem* & *Perſonalem*.

Quid eſt SUPPOSITIO Simplex?

Suppoſitio *Simplex* eſt acceptio vocis pro naturâ communi *ut communi*, & per *abſtractionem* à *rationibus individuantibus* ſejunctâ; Cujus *abſtractionis* & Præciſionis judicium manifeſtum eſt, ſi termini technici, *Genus*, *Species*, &c. addantur. Ut ſi dicas:

Animal eſt Genus.
Homo eſt Species.

Animal & *Homo* accipiuntur ſimpliciter, & ut natura *quædam communis*, quæ in *nullo individuo* exiſtit UT TALIS.

* Neq; enim, quia Homo eſt *Species*, rectè dico, E. *Petrus eſt Species*, quia eſt Homo.

Petrus quidem Homo eſt, ſed *ſingularis*, & HIC HOMO, non *Homo*, quatenus vox Homo deſignat conceptum à ratione *individuante* decerptum & abſtractum, ac *virtualiter* omnia individua complexum.

Quid

Quid PERSONALIS?

Perſonalis eſt acceptio vocis *pro naturâ, quatenus* à parte rei *in Individuis* reperitur. Ut, *Homo eſt Animal*; Poſſum enim deſcendere ad hominis inferiora, & dicere: *Petrus eſt animal. Paulus eſt Animal* &c.

Dicitur Perſonalis *Synecdochicè*, quia per *perſonam* hic intelligitur quodvis *Individuum*.

Quomodo Suppoſitio Perſonalis dividitur?

1. *In Diſtributivam, Disjunctivam* & *Collectivam.*

I. *Diſtributiva* eſt Acceptio vocis pro omnibus ſuis inferioribus *diſtributivè*, vel ſeorſim enumerandis, dicitur etiam *Copulativa*, ut *Homo eſt Animal*.

Poſſum enim ſubſumere:

Petrus eſt homo.
Paulus eſt homo.
Maria eſt homo &c.

Unde hic *Deſcenſus* vulgò vocatur *Diſtributivus* vel *Copulativus*: tùm (α) *completè*, quando Terminus accipitur pro *Singulis generum*, hoc eſt, non tantùm pro Speciebus, ſed etiam pro Individuis. Sic *animal* ſumitur pro Homine & Bruto immediatè, mediatè verò etiam pro hoc & illo homine; tùm (β) *incompletè*, quando accipitur pro *Generibus ſingulorum*, id eſt, pro Speciebus, non pro Individuis. Prius Germanicè exponitur per Allesmiteinander. Alterum per Allerley. Ut,

Omne animal fuit in arca Noæ.

id eſt, *omnis generis* animalia, non autem *omne Individuum.* Item πᾶν *omne in macello vendendum comedite.* 1.Cor. X. 25. non *omnem carnem*, ſed *omnifariam* ſignificat.

2. *Disjunctiva* eſt acceptio vocis communis pro Inferioribus ſuis *disjunctivè* enumerandis. Unde ejus *Deſcenſus* vocatur *Disjunctivus.*

Et hæc Suppoſitio disjunctiva alia eſt *Vaga & Indeterminata*, quam vocant *Disjunctam*: alia *Determinata*, quam in ſpecie vocant *Disjunctivam.* Ex. gr. debeat tibi quis florenum; ille debitor, etiamſi centum florenos habeat præſentes, tamen non potes dicere: Tu debes mihi hunc *præcise* & *determinatè*, ſed tantum *aliquem*, inen unter Allen / aber nicht eben dieſen oder jenen. id eſt, *disjunctim*, non *disjunctivè.* Sic ſi dicas:

Equus eſt neceſſarius ad equitandum.
Aliquis dies Septimanæ eſt ſanctificandus.

Indeterminatè ſive in *ſenſu disjuncto* verum eſt; & ſic exponitur: *Equus eſt neceſſarius ad equitandum.* Ergò, *vel* hic, *vel* ille, *vel* alius. *Aliquis dies Septimanæ eſt ſanctificandus*, *ſive* dies Lunæ, ſive Martis, ſive Solis, quicunque tandem ſit ex Septemdio. Sed *determinatè*, & in *ſenſu disjunctivo* ſi exponas, hoc modo: Ergò *hic præcisè* equus eſt neceſſarius ad equitandum. Vel: Ergò Dies Lunæ eſt præcisè ſanctificandus, vel Dies Solis &c. Sic falſum eſt.

3. *Collectiva* eſt acceptio vocis communis pro omnibus ſignificatis *ſimul ſumtis.* Ut, *Apoſtoli ſunt duodecim. Elementa ſunt quatuor.* Verificantur *Deſcenſu*, ut vocant, *Collectivo* vel *Copulato.* Ut,

Elementa ſunt quatuor. Ergò
Ignis, aër, aqua, terra ſunt quatuor.

cui

CUI BONO hæc de Suppoſitione doctrina proponitur.

Ad *purificandos* mentis conceptûs, & *fugiendas fallacias*.

* Infrà dicetur, quòd nullus Syllogiſmus debeat habere *quatuor terminos*, quod ejus vitium eſt capitale, & ſentina *Sophiſticationum*. Enim verò ſi doctrina de *Suppoſitionibus* probè non attendatur, facilè quis decipitur.

v.g. Mus *rodit Caſeum*.
Mus eſt *monoſyllabum*.
Ergò monoſyllabum rodit caſeum.

Fucus eſt ex diverſà Suppoſitione, quia ibi *formaliter*, hic *materialiter* ſumitur terminus.

Item, Animal ſub ſe habet *Species*,
Melampus eſt animal
E. Melampus ſub ſe habet ſpecies.

Suppoſitio eſt diverſa, *Simplex* & *Perſonalis*.

Item, Apoſtoli ſunt *duodecim*.
Paulus & Petrus ſunt *Apoſtoli*,
Ergò Paulus & Petrus ſunt *duodecim*.

Supponitur hic vox Apoſtoli modo *collectivè*, modò *diſtributivè*, &c.

At de fallaciis infrà.

2. *Quid eſt Status?*

Status eſt acceptio vocis in eo tempore, quod verbum connotat. Ut, *Johannes diſputat*, id eſt, Johannes, *qui jam exiſtit*, diſputat. Nam qui *fuit* vel *erit* Johannes, non diſputat, ſed *diſputavit* vel *diſputabit*.

3. *Quid*

3. *Quid eſt Ampliatio?*

Ampliatio eſt acceptio vòcis *in alio tempore*, quàm verbum connotat. Ut *Cæci vident.* Homo eſt *mortuus.* Publicanus eſt Apoſtolus, *id eſt, qui fuerunt cæci, vident.* Qui *fuit* homo, eſt mortuus. Qui *fuit* Publicanus, eſt Apoſtolus.

* Noldius, *ſubtiliſſimus* Logicorum è veteribus, ſubdividit *Ampliationem* in eam, quæ *in ſpecie* talis vocari poteſt, & *diſtractionem.*

AMPLIATIO in ſpecie talis eſt, cùm Subjectum ſupponit *pro alio tempore*, quàm prædicatum; idque SIMPLICITER v. gr. *Meretrix juſtificata eſt*, i. e. quæ diu fuit. Jacob II. 25. *Publicani præcedent in regno DEI* Matth. XXI. 31. i e. qui anteà homines impii fuerunt.

DISTRACTIO autem Autori eſt, qua *partim* pro eodem, *partim* pro diverſo tempore ſupponitur: Ut, *Senex fuit infans*, id eſt, qui *fuit* ſenex, aut *jam eſt.*

Adde Status & Ampliatio ferè idem ſunt ac ſenſus *compoſitus* & *diviſus* apud Philoſophum. E.G.

Electus *non poteſt excidere gratia*, qui *ſemen DEI habet, non poteſt peccare.* 1. Joh. III. 9: quæ vera ſunt in ſenſu *compoſito*, pro *ſtatu.*

CANONES.

I. *Deſcenſus eſt* affectio Suppoſitionis perſonalis, ejusque character.

Ratio eſt: quia per eam vox *reſtringitur ad ſignificata ſua primo-notionalia*, & à technicis abſtractionum notis liberatur. Deſcenſus autem fit vel *copulativè* vel *diſtributivè* uti dictum.

II. Dan-

II. Dantur propoſitiones *inuſitatæ*, in quibus neque Suppoſitio ſimplex, neque perſonalis locum habet.

E. G. in Theologia & Catecheſi Chriſtianâ. *Verùs Deus neque gignit, neque gignitur, neque procedit.* Unus vero in Eſſentiâ *Deus gignit, gignitur & procedit*. Ergo non eſt verus Deus. Item, DEUS *verus eſt trinus* in Perſonis, *Pater* eſt ille Deus *verus unus & ſolus*. Joh. XVII. verſ. 3. Ergo Pater eſt trinus in Perſonis. Dic, ſepoſita ſuppoſitionis doctrina, *Eſſentiam* ſumi *præciſe*, & cum *modo*. Hinc oriri quatuor terminos.

III. Vox *ſupponens ſimpliciter conſtituit Enunciationem ſingularem.* Ut, *Homo eſt ſpecies*; id eſt, Hoc *Univerſale Homo eſt Species.*

IV. *Omnis Vox admittens ſignum Quantitativum, accipitur perſonaliter.* Ut,

Omnis Leo eſt brutum.
Homo eſt doctus. id eſt,
Quidam homo eſt doctus.

V. *Cum prædicatum ſignificat numerum, Subjectum ſupponit copulatim.* Huc pertinent *Aggregata*, quæ & ipſa numerum faciunt, ut, *Exercitus, Collegium, Ducatus, Natio* &c.

VI. *Cum Prædicatum repugnat Subjecto,*

Enun-

Enunciatio uſitate explicanda eſt per Ampliationem, Ut, *Virgo*, (quæ *erat* Virgo) *parit*, dicitur *uſitate*; *Inuſitatè* enim vera eſt etiam in *Statu* de Maria: *Virgo* (quæ *eſt* Virgo) *parit*.

CAPUT III.

DE ENUNCIATIONUM DIFFERENTIIS.

PROOEMIUM.

Conſultius feciſſet Auctor, ſi Noldium, Theologum Hafnienſem, fuiſſet imitatus in *partitione differentiarum*: Leges enim *diſtinctionum* non ſunt obſervatæ: cum *Exponibiles* ad *Compoſitas* referantur nullo ordine; & *affectiones qualitatis* & *quantitatis* ad Simplicium Catalogum reſtringantur. Iterum confunduntur *differentiæ* propoſitionum cum earundem *affectionibus*, ad quas pertinent *qualitas*, *quantitas* &c. Sed ſequamur filum Autoris, qui *ἀκρίβειαν* hîc ſectari ſe nolle ob Tyrones profeſſus eſt: ne ex *correctiore Logicâ aliam* faciamus.

Quid Obſervandum in Diviſione Enunciationum?

Tres Quæſtiones: Quæ? Qualis? Quanta?

juxta verſum;

QUÆ?

QUÆ? Sim. Comp. QUALIS? Ne. *vel* Aff.

QUANTA? Uni. Par. In. Sing.

Prima Diviſio Enunciationis dicitur Logicis fieri ratione *Subſtantiæ*, in *Simplicem & Compoſitam*; *Secunda* ratione *Qualitatis*, in *Affirmativam & Negativam*; Tertia ratione *Quantitatis*, in *Univerſalem*, *Particularem*, *Indefinitam* & *Singularem*.

De *Prima* quæritur per *Quæ*? Quæ eſt Enunciatio? Reſpondetur *Sim. Comp.* id eſt, *Simplex* vel *Compoſita*. De *Secunda* per *Qualis*? Reſp. *Ne.* vel *Aff.* id eſt, *Affirmativa* vel *Negativa*. De *Tertia*, per *Quanta*? Reſpondetur: *Uni. par. In. Sing.* id eſt, *Univerſalis*, *Particularis*, *Indefinita*, vel *Singularis*.

Pro *SIM. COMP.* vulgò ponunt *CA.* vel *HYP.* id eſt, *Categorica* vel *Hypothetica*. Sed quia ſub Enunciatione Compoſita plures comprehenduntur, quàm Hypotheticæ, ſive in genere, ſive in ſpecie ſic dictæ, ideo pro *CA.* vel *Hyp.* ponitur *SIM. COMP.*

Quomodo dividitur Enunciatio ratione Subſtantiæ?

Ratione Subſtantiæ Enunciatio alia eſt *Simplex*, alia *Compoſita*.

Quæ eſt Enunciatio Simplex?

Quæ immediatè reſolvitur in Subjectum & Prædicatum, Dicitur etiam Categorica. Ut,

Cœlum eſt rotundum.
Abraham eſt amicus DEI.

Quæ eſt Enunciatio compoſita?

Quæ immediatè reſolvi poteſt in integras Enunciationes, ut

Si Petrus credit, ſalvatur.
Solus homo, eſt animal rationale.
Si proximus debet amari, debet tolerari.

Reſolve: (*a*) *Petrus* credit; Petrus credens *ſalvatur.*
(*b*) *Homo* eſt rationale animal.
Nemo alius, quam homo, eſt animal rationale.
(*c*) Proximus amatur. Proximus amatus toleratur.

CANON.

Enunciatio Simplex eſt Norma Compoſitæ.

Ideò de Compoſitis ultimò agemus infra c.8.9.

CAPUT IV.
DE
DIVISIONE ENUNCIATIONIS SIMPLICIS RATIONE FORMÆ.

Quomodo dividitur Enunciatio Simplex ratione Formæ.

In Puram & Modalem.

Quæ

Quæ eſt Enunciatio Pura?

In qua prædicatum enunciatur de Subjecto abſolutè. Ut,

Homo moritur.

Quæ eſt Enunciatio Modalis?

In qua prædicatum enunciatur de Subjecto certo modo. Ut,

Homo neceſſariò moritur.

Forma Enunciationis eſt *Copula.* Quando ergò Copula ponitur *abſolutè*, & Prædicatum Subjecto *ſimpliciter ineſſe*, vel *non ineſſe* dicitur, *tùm* Enunciatio dicitur *Pura*, *Abſoluta*, vel de *Ineſſe.* Quando autem Copula afficitur *modo* quodam, diciturque Prædicatum ineſſe Subjecto *certo modo*, tùm Enunciatio vocatur *Modalis.*

Quotuplex eſt Modus?

Alius Materialis, alius Formalis.

Quid eſt modus materialis?

Ille eſt, qui vel *ſubjectum*, vel *prædicatum*, vel *utrumque* afficit: ut, *generoſus* Equus currit *velociter.*

Homo, *quem neceſſe eſt mori*, eſt peccator. &c.

Quid eſt modus formalis?

Qui copulam *immediate* affrcit & modificat. ut,

Neceſſe eſt hominem mori.

i. e. Homo *neceſſario eſt* moriens.
En! hìc afficit *copulam.*

QUOTIDEM ſunt modi formales?

Vulgò quatuor numerantur: Neceſſe, Poſſibile, impoſſibile & contingens: Ut,

Neceſſe eſt hominem mori.
Poſſibile eſt adoleſcentem mori.
Impoſſibile eſt animam mori.
Contingit hominem gladio occidi.

Obſerva. I. *Quaternio hic* modorum oritur ex generali *differentia* Entis, quandoquidem ſecundum Metaphyſicos *Ens* vel *actu* (ſicque neceſſario) eſt, vel *in potentia*, ut ens poſſibile. Iterum vel *neceſſarium*, vel *contingens*. Adde *contrarium* poſſibilis, *τὸ impoſſibile*, quod implicat in conceptu ſuo contradictionem.

Obſ. II. *Alios* eſſe modos, qui tamen non tam *copulam* determinant, quàm *intellectum facilitant*. Tales ſunt *verum*, *falſum*, *æquum*, *honeſtum*, *probabile*, *credibile*, *fabuloſum* eſt &c. Hæc enim *prædicati* potius vicem ſuſtinent, quam *modi* copulam afficientis.

Obſerv. III Propoſitionem *modalem* juxta Logicos *vel dicto* conſtare, vel *modo*. *Dicto* conſtat, quando inter *ſubjectum* & *prædicatum* (utrumque enim *dictum* appellant *τεχνικῶς*) *adverbialiter* modalis affectio ponitur, Ut, Homo *neceſſario* moritur, ſeu eſt moriens. *Modo* conſtat, cum Modus *diſerte* ponitur *inſtar alicujus enunciationis*, *ut*,

impoſſibile eſt, Deum mori, *contingens* eſt, ſeu *contingit* adoleſcentem mori.

CANON.

*Modalis * Compoſita transformanda eſt in Diviſam.* **

* Hoc eſt, Modus in *adverbium* commutari debet, & ex

ex propoſitione *Modo conſtante* fieri Propoſitio conſtans *Dicto*; Vid. Obſ. III. hujus Cap.

V. G. Si dicas.

1. Neceſſe *eſt hominem mori*; *Muta*: *Homo* neceſſariò moritur.
2. Poſſibile *eſt Adoleſcentem mori*; *Dic. Adoleſcens* poſſibiliter *moritur*. *Vel*: *Adoleſcens* poteſt *mori*.
3. Impoſſibile *eſt Deum mentiri*; *Muta. Deus* Impoſſibiliter *mentitur*. *Vel*: *Deus non* poteſt *mentiri*.
4. Contingit *hominem eſſe doctum*; *Dic. Homo* contingenter *eſt doctus*.

** Eſt tamen hæc conſtructio non ſimplex & Logica, ſed ad variationem potius Rhetoricam inclinare videtur.

CAPUT V.
DE
DIVISIONE ENUNCIATIONIS SIMPLICIS RATIONE MATERIÆ.

Dictum fuit in *ſuperiori* Capite, quod Modus alius ſit *materialis*, alius *formalis*, allata utriusque definitione: jam igitur de Propoſitione Modali per *modum materialem*.

Quomodo dividitur Enunciatio ſimplex ratione Materiæ.

1. In Neceſſariam & Contingentem.
2. In Apodicticam & Topicam.

 1. *Quæ*

1. Quæ eſt Enunciatio Neceſſaria?

Cujus Prædicatum Subjecto tribuitur immutabiliter. Ut,

Roſa eſt flos.

Obſervandum I. Cauſam *immutabilitatis* vel *abſolutam*, vel *Hypotheticam eſſe.*

Illa eſt, cum prædicatum ſubjecto cohæret *inviolabili reſpectu*, idque vel *affirmativè*, vel *negativè.*

V. G. Homo eſt animal, id eſt, ζῶον τὸ animal eſt pars *eſſentiæ humanæ*; eapropter de homine immutabiliter prædicatur: reſpiciunt ſe invicem hi termini, ut *pars & totum.* E contrario ſi dixeris: *Homo non eſt lapis*: Neceſſario diſſident termini, quia nihil *in eſſentia* commune habent, niſi conceptum Generis remotioris *ſubſtantiæ*, quæ in propoſitionibus æſtimandis non venit in conſiderationem. Quæ ratio? *Reſp.* Si enim generis remoti vis eſſet quædam, nihil ferè de altero negare poſſemus, ſic enim, v. g.

Hæc propoſitio falſa foret, *Deus non eſt lapis*: quia Deus cum lapide communem habet conceptum *Subſtantiæ, & Entis.*

Hæc eſt, quæ ex Hypotheſi conditionis, & Exiſtentiæ neceſſario infert connexionem.

V. g. *Si ſol lucet*, dies eſt.

Sub *ſole* dies eſt. Sive, *Sol* facit diem.

Ibi hypotheſis eſt *aperta*: *Hìc tacita.*

Obſ. II. *Immutabilitas* ſeu neceſſitas eſt vel *repugnantiæ* vel *cohærentiæ*. *Illa* in negatione viget, *hæc in* affirmatione.

Obſ. III. Neceſſitas eſt vel *Eſſentiæ*, vel *Cauſæ.*

Sed de his ſuo loco.

Quæ

Quæ eſt Enunciatio Contingens?

Cujus Prædicatum Subjecto tribuitur mutabiliter. Ut,

Roſa non floret. Roſa floret.

Sicut Neceſſarium includit *Impoſſibile*; Ita Contingens *Poſſibile*. Vel enim aliquid non eſt, poteſt tamen eſſe. Ut,

Roſa non floret.

Vel eſt, & poteſt non eſſe. Ut,

Roſa floret.

Prius dicitur *Poſſibile*; Poſterius in ſpecie *Contingens*.

Quæ eſt Enunciatio Apodictica?

Quæ habet Gradum Neceſſitatis. Ut,

Homo eſt bipes.

Quæ eſt Enunciatio Topica?

Quæ habet Gradum Probabilitatis. Ut, *Matres amant Liberos. Principes curant ſalutem Subditorum.*

Non de *officio* ſermo eſt, quod apodicticè demonſtrandum; ſed de *actu*.

Quotuplex eſt Gradus Neceſſitatis?

Triplex: De OMNI, PER SE, & UNIVERSALITER PRIMUM.

Obſervat. I. Græci *cum Ariſtotele* id exprimunt κατὰ παντὸς, καθ' αὐτὸ, ϗ καθόλου πρῶτον.

Obſervat. II. Hæc ad doctrinam de *Demonſtratione* pertinere.

Obſervat. III. quid (a) Gradus *Neceſſitatis* ſit

DE OMNI. ſcil cùm prædicatum OMNI Subjecto, & *ſemper* competit: ut, *homo eſt bipes*

(*b*) PER SE eſt, cum *Eſſentialiter* Subjecto Prædicatum tribuitur: ut, *homo eſt animal.*

* Nota: Eſſentiale vel eſt *conſtituens*, vel *conſequens.* ILLUD rem in ſuo Eſſe conſtituit; HOC tanquam proprium quarti modi ſequitur τὸ Eſſe. *E. G. Animal eſſe*, eſt pars conſtituens hominis, at *moveri poſſe*, conſequens animalis, prout *Corpus* habet.

(*c*) *UNIVERSALITER PRIMUM eſt* cùm aliquid Subjecto tribuitur *PRIMO*, & QUATENUS *tali.*

Sic: τὸ *rationale* tribuitur homini, *ut tali*, ceu forma. *Rationale* ut tale eſt *riſibile*, & habet facultatem ridendi. Exempla ſunt Ariſtotelica.

* *Carteſianus* diceret: Subſtantia *cogitans*, eſt *ſuſceptiva* Idearum omnis generis, ut talis; Cogitatio ut talis, ſemper eſt in *Actu*, uti & Anima, *quæ eſt Cogitatio.* &c.

Quotuplex eſt Gradus Probabilitatis?

Iterum triplex: cùm aliquid verum videtur vel OMNIBUS, vel PLERISQUE, vel *SAPIENTIBUS*, iisque vel *OMNIBUS*, vel *EMUNCTIORIBUS* ex illis.

Obſerv. I. *Neceſſaria cohæſio* terminorum, non pendet ab *autoritate*, ſed *Ratione cujusvis.* Fieri autem poteſt, ut *Ratio ſit corrupta* (ut omnium in ſacris Myſteriis) vel *paſſione impedita*, vel *lubrica* per negligentiam. Sic quidam aliquid ſe putant

CER-

CERTO, & *infallibiliter* ſcire, quod creditur per *ἀπόφασιν τῆς διανοίας*. Demonſtrationum Mathematicarum *ſumma eſt Neceſſitas*, quæ dari poſſit.

II. Neceſſaria vocantur, quæ *omnium* intellectum neceſſitant, *ritè* declaratis & *rationibus*, & *terminis*. Puta intellectum *ſui compotem*, non *rudem*, non *barbarum*, non *cæcum* & *præoccupatum*. Sic ſi homini *pertinaci* Solem in manu præferas, nihil *credet*, nihil *ſciet*, æque ac truncus.

III. Probabilia ſunt quæ Credibilitatem veri accipiunt ab *aliorum conſenſu*, vel *diſſenſu*.

* Enimverò 1. *Teſtimoniorum multitudo* non Veritatem efficit, ſed *Veritatis Suſpicionem*. 2. Orto inter plebem & Sapientes *diſſenſu*, quis Sapiens ſit, à cujusvis *arbitrio* pendet exiſtimare. Aſſurgendum tamen iis, quos *in arte experti* pro talibus habere non verentur. Character veri eſt Lux & Ordo. 3. In *Sacris* multitudo affirmantium nihil efficit, ut potius *contrarium* debeat præſumi, quòd *primiceriis Seculi Myſterium crucis & Chriſti occultetur*, 1. Cor. II. 7.

CANONES.

I. A Per ſe, ad De Omni valet Conſequentia.

Vulgatus Canon eſt, & patet ex *antecedentibus*, quoniam quæ ad *Eſſentiam* pertinent, Semper, & Omni competunt.

II. Enunciatio Topica, in ſe poteſt eſſe neceſſaria.

Hic Canon ſolvit plures difficultates. Ex. gr. To-

Totum eſt majus ſua parte. Hæc Enunciatio IN SE eſt *neceſſaria*; *probabilis* autem quatenus *vera videtur* omnibus.

CAP. VI.
DE
DIVISIONE ENUNCIATIONIS RATIONE QUALITATIS.

Quomodo dividitur Enunciatio ratione Qualitatis.

Ratione Qualitatis Enunciatio eſt *Affirmativa vel Negativa*, & hinc: *Vera vel Falſa.*

1. *Quæ eſt Enunciatio Affirmativa?*

In qua prædicatum cum Subjecto componitur. Ut,

Sol eſt Stella. Deus eſt adorandus.

Eſtque ratione *modi prædicandi Synonymica*, vel *Paronymica.*

Synonymica, cujus Prædicatum eſt Genus, Differentia, Species, vel Definitio.

Ut, *Leo eſt animal.*
Homo eſt animal rationale.

Paronymica, cujus prædicatum eſt *Proprium* vel *Accidens*, vel aliud quodvis *extraeſſentialiter conceptum.* Ut, *Leo rugit. Ens eſt unum. DEUS eſt omnipotens.*

Nota: Propoſitiones *Myſticas* hunc referunt Theologi, in quibus termini ſe QUASI-*eſſentialiter*, aut

aut *quaſi - extra - eſſentialiter* reſpiciunt. V. g. λόγος eſt Deus, λόγος eſt *caro*: Adde propoſitiones *Sacramentales* Panis eſt corpus Chriſti &c.

Quæ eſt Enunciatio Negativa?

In qua Prædicatum à Subjecto divellitur. Ut,

Sol non eſt animal.
Imagines non ſunt adorandæ.

Obſerva. Ad Negativam requiritur, ut *Negatio non cadat ſuper Extrema, ſed ſuper Copulam:* quod fit 1. Quando Copulæ *immediatè* præponitur. Ut,

Homo non eſt doctus.

2. Quando ponitur *ante Signum* quantitativum. Ut,

Non omnis homo eſt doctus.

3. Quando *ipſi Signo quantitativo* incluſa eſt, Ut, *Nullus homo eſt equus.*

Quæ eſt Enunciatio Vera?

Quæ affirmat affirmanda, & negat neganda, ſeu, quæ cum RE conſentit. Ut,

Purgatorium eſt figmentum.
Infernus non eſt figmentum.

Quæ eſt Enunciatio Falſa?

Quæ affirmat neganda, & negat affirmanda, adeoque cum Re non conſentit. ut,

Infernus eſt figmentum.
Purgatorium non eſt figmentum.

CANONES.

I. Fundamentum Affirmationis eſt Extremorum *Identitas*, Negationis, *Diverſitas.*

Ut unum de altero *verè* affirmetur, requiritur, ut id, quod affirmatur, ſit *numero idem* cum eo, de quo affirmatur, ſaltem quoad *Rectum*. Sic dico: *albedo eſt color*, quia albedo & color ſunt *idem* numero, eſſentia ſcilicet numericâ. Quamvis autem non poſſim dicere: *Ovum eſt albedo*; quia Ovum eſt *Subſtantia*, Albedo verò *Accidens*. Poſſum tamen dicere: *Ovum eſt album*. Quia *Idem Subjectum*, quod eſt Ovum, eſt *idem*, quod eſt *album*: Et τὸ Album dicit duo: Unum in *Rectò*, nimirùm *Rem*, quæ habet *Albedinem*; Et alterum in *Obliquo*, ipſam ſcilicet Formam, quæ habetur. Eſtque expreſsè hic ſenſus: *Ovum eſt Ovum album*; *Res*, quæ eſt Ovum, eſt *Res* quæ *habet albedinem*.

Turbetur nemo terminis in *Caſu recto* & *obliquo*: nam cum unum de altero exprimitur in *Caſu recto*, *identitatem* notat. V. G. *Leo eſt animal*, *virgo eſt pulchra*, h. e. *res pulchra*. Si in obliquo, *aliquid* de re ſignificat. Sic non poſſum dicere: *Virgo eſt pulchredo*, ſed aliquid, quod *habet pulchredinem*, vel *pulchredine* inſtructum ornatumque eſt.

II. Aliud eſt, Prædicatio Affirmativa & Nega-

Negativa; aliud de Subjecto & Prædicato affirmatè vel negatè aliquid exprimi.

Ut, *Homo - eſt - bipes.*
Homo - non eſt - bipes.
Qui non eſt - mecum eſt - contra me.
Satan - eſt - Spiritus, qui non ſtetit in veritate.

III. Enunciationes contingentes habent *determinatam* veritatem.

* Intellige in Se: Quanquam enim intellectus *finitus* contingenter futura *neque ex Cauſis* tutò colligere poſſit, neque *in ſeipſis*, (quæ DEI perfectio eſt) futura tanquam coram exiſtentia intueatur; *determinatè* tamen vera ſunt, aut falſa. Neque *fluctuat* veritas, quemadmodum imprudentes opinantur. Huc refer ſis *Scientiam Mediam* in Theologia decantatam.

CAPUT VII.
DE
DIVISIONE ENUNCIATIONIS RATIONE QUANTITATIS.

Quomodo dividitur Enunciatio ratione Quantitatis?

Ratione Quantitatis Enunciatio eſt *Univerſalis*, *Particularis*, *Indefinita* vel *Singularis*.

Adcu-

1. *Quæ eſt Enunciatio Neceſſaria?*

Cujus Prædicatum Subjecto tribuitur immutabiliter. Ut,

Roſa eſt flos.

Obſervandum I. Cauſam *immutabilitatis* vel *abſolutam*, vel *Hypotheticam eſſe*.

Illa eſt, cum prædicatum ſubjecto cohæret *inviolabili reſpectu*, idque vel *affirmativè*, vel *negativè*.

V. G. Homo eſt animal. id eſt, ζῶον τὸ animal eſt pars *eſſentiæ humanæ*; eapropter de homine immutabiliter prædicatur: reſpiciunt ſe invicem hi termini, ut *pars & totum*. E contrario ſi dixeris: *Homo non eſt lapis*: Neceſſario diffident termini, quia nihil *in eſſentia* commune habent, niſi conceptum Generis remotioris *ſubſtantiæ*, quæ in propoſitionibus æſtimandis non venit in conſiderationem. Quæ ratio? *Reſp.* Si enim generis remoti vis eſſet quædam, nihil ferè de altero negare poſſemus. ſic enim, v. g.

Hæc propoſitio falſa foret, *Deus non eſt lapis*: quia Deus cum lapide communem habet conceptum *Subſtantiæ*, & *Entis*.

Hæc eſt, quæ ex Hypotheſi conditionis, & Exiſtentiæ neceſſario infert connexionem.

V. g. *Si ſol lucet*, dies eſt.

Sub *ſole* dies eſt. Sive, *Sol* facit diem.

Ibi hypotheſis eſt *aperta*: *Hic tacita*.

Obſ. II. *Immutabilitas* ſeu neceſſitas eſt vel *repugnantiæ* vel *cohærentiæ*. *Illa* in negatione viget, *hæc in* affirmatione.

Obſ. III. Neceſſitas eſt vel *Eſſentiæ*, vel *Cauſæ*.

Sed de his ſuo loco.

Quæ

Quæ eſt Enunciatio Contingens?

Cujus Prædicatum Subjecto tribuitur mutabiliter. Ut,

Roſa non floret. Roſa floret.

Sicut Neceſſarium includit *Impoſſibile*; Ita Contingens *Poſſibile*. Vel enim aliquid non eſt, poteſt tamen eſſe. Ut,

Roſa non floret.

Vel eſt, & poteſt non eſſe. Ut,

Roſa floret.

Prius dicitur *Poſſibile*; Poſterius in ſpecie *Contingens*.

Quæ eſt Enunciatio Apodictica?

Quæ habet Gradum Neceſſitatis. Ut,

Homo eſt bipes.

Quæ eſt Enunciatio Topica?

Quæ habet Gradum Probabilitatis. Ut, *Matres amant Liberos. Principes curant ſalutem Subditorum.*

Non *de officio* ſermo eſt; quod apodicticè demonſtrandum; ſed de *actu*.

Quotuplex eſt Gradus Neceſſitatis?

Triplex: De OMNI, PER SE, & UNIVERSALITER PRIMUM.

Obſervat I. Græci *cum Ariſtotele* id exprimunt κατὰ παντὸς, καθ᾽ αὐτὸ, ϗ καθόλου πρῶτον.

Obſervat. II. Hæc ad doctrinam de *Demonſtratione* pertinere.

Obſervat. III. quid (a) Gradus *Neceſſitatis* ſit

DE OMNI. ſcil cùm prædicatum OMNI Subjecto, & *ſemper* competit: ut, *homo eſt bipes*

(*b*) PER SE eſt, cum *Eſſentialiter* *Subjecto Prædicatum tribuitur: ut, *homo eſt animal*.

* Nota: Eſſentiale vel eſt *conſtituens*, vel *conſequens*. ILLUD rem in ſuo Eſſe conſtituit; HOC tanquam proprium quarti modi ſequitur τὸ Eſſe. *E. G. Animal eſſe*, eſt pars conſtituens hominis, at *moveri poſſe*, conſequens animalis, prout *Corpus* habet.

(*c*) *UNIVERSALITER PRIMUM eſt* cùm aliquid Subjecto tribuitur *PRIMO*, & QUATENUS *tali*.

Sic: τὸ *rationale* tribuitur homini, *ut tali*, ceu forma. *Rationale* ut tale eſt *riſibile*, & habet facultatem ridendi. Exempla ſunt Ariſtotelica.

* *Carteſianus* diceret: Subſtantia *cogitans*, eſt *ſuſceptiva* Idearum omnis generis, ut talis; Cogitatio ut talis, ſemper eſt in *Actu*, uti & Anima, *quæ eſt Cogitatio*. &c.

Quotuplex eſt Gradus Probabilitatis?

Iterum triplex: cùm aliquid verum videtur vel OMNIBUS, vel PLERISQUE, vel *SAPIENTIBUS*, iisque vel *OMNIBUS*, vel *EMUNCTIORIBUS* ex illis.

Obſerv. I. *Neceſſaria cohæſio* terminorum, non pendet ab *autoritate*, ſed *Ratione cujusvis*. Fieri autem poteſt, ut *Ratio ſit corrupta* (ut omnium in ſacris Myſteriis) vel *paſſione impedita*, vel *lubrica* per negligentiam. Sic quidam aliquid ſe putant CER-

CERTO, & *infallibiliter* ſcire, quod creditur per *ἀῤῥωςίαν τῆς διανοίας.* Demonſtrationum Mathematicarum *ſumma eſt Neceſſitas*, quæ dari poſſit.

II. Neceſſaria vocantur, quæ *omnium* intellectum neceſſitant, *ritè* declaratis & *rationibus*, & *terminis*. Puta intellectum *ſui compotem*, non *rudem*, non *barbarum*, non *cæcum* & *præoccupatum*. Sic ſi homini *pertinaci* Solem in manu præferas, nihil *credet*, nihil *ſciet*, æque ac truncus.

III. Probabilia ſunt quæ CREDIBILITATEM veri accipiunt ab *aliorum conſenſu*, vel *diſſenſu*.

* Enimverò 1. *Teſtimoniorum multitudo* non Veritatem efficit, ſed *Veritatis Suſpicionem*. 2. Orto inter plebem & Sapientes *diſſenſu*, quis Sapiens ſit, à cujusvis *arbitrio* pendet exiſtimare. Aſſurgendum tamen iis, quos *in arte experti* pro talibus habere non verentur. Character veri eſt Lux & Ordo. 3. In *Sacris* multitudo affirmantium nihil efficit, ut potius *contrarium* debeat præſumi, quòd *primiceriis Seculi Myſterium crucis & Chriſti occultetur.* 1. Cor. II. 7.

CANONES.

I. A Per ſe, ad De Omni valet Conſequentia.

Vulgatus Canon eſt, & patet ex *antecedentibus*, quoniam quæ ad *Eſſentiam* pertinent, SEMPER, & OMNI competunt.

II. Enunciatio Topica, in ſe poteſt eſſe neceſſaria.

Hic Canon ſolvit plures difficultates. Ex. gr.

Totum eſt majus ſua parte. Hæc Enunciatio In Se eſt *neceſſaria; probabilis* autem quatenus *vera videtur* omnibus.

CAP. VI.
DE
DIVISIONE ENUNCIATIONIS RATIONE QUALITATIS.

Quomodo dividitur Enunciatio ratione Qualitatis.

Ratione Qualitatis Enunciatio eſt *Affirmativa vel Negativa*, & hinc: *Vera vel Falſa.*

1. Quæ eſt Enunciatio Affirmativa?

In qua prædicatum cum Subjecto componitur. Ut,

Sol eſt Stella, Deus eſt adorandus.

Eſtque ratione *modi prædicandi Synonymica*, vel *Paronymica.*

Synonymica, cujus Prædicatum eſt Genus, Differentia, Species, vel Definitio.

Ut, *Leo eſt animal.*
Homo eſt animal rationale.

Paronymica, cujus prædicatum eſt *Proprium* vel *Accidens*, vel aliud quodvis *extraeſſentialiter conceptum.* Ut, *Leo rugit. Ens eſt unum. DEUS eſt omnipotens.*

Nota: Propoſitiones *Myſticas* hunc referunt Theologi, in quibus termini ſe Quasi - *eſſentialiter*, aut

aut *quaſi-extra-eſſentialiter* reſpiciunt. V. g. λόγος eſt Deus, λόγος eſt *caro*: Adde propoſitiones *Sacramentales* Panis eſt corpus Chriſti &c.

Quæ eſt Enunciatio Negativa?

In qua Prædicatum à Subjecto divellitur. Ut,

Sol non eſt animal.
Imagines non ſunt adorandæ.

Obſerva. Ad Negativam requiritur, ut *Negatio non cadat ſuper Extrema, ſed ſuper Copulam:* quod fit 1. Quando Copulæ *immediatè* præponitur. Ut,

Homo non eſt doctus.

2. Quando ponitur *ante Signum* quantitativum. Ut,

Non omnis homo eſt doctus.

3. Quando *ipſi Signo quantitativo* incluſa eſt, Ut, *Nullus homo eſt equus.*

Quæ eſt Enunciatio Vera?

Quæ affirmat affirmanda, & negat neganda, ſeu, quæ cum RE conſentit. Ut,

Purgatorium eſt figmentum.
Infernus non eſt figmentum.

Quæ eſt Enunciatio Falſa?

Quæ affirmat neganda, & negat affirmanda, adeoque cum Re non conſentit. ut,

Infernus eſt figmentum.
Purgatorium non eſt figmentum.

CANONES.

I. Fundamentum Affirmationis eſt Extremorum *Identitas*, Negationis, *Diverſitas*.

Ut unum de altero *verè* affirmetur, requiritur, ut id, quod affirmatur, ſit *numero idem* cum eo, de quo affirmatur, ſaltem quoad *Rectum*. Sic dico: *albedo eſt color*, quia albedo & color ſunt *idem* numero, eſſentia ſcilicet numericâ. Quamvis autem non poſſim dicere: *Ovum eſt albedo*; quia Ovum eſt *Subſtantia*, Albedo verò *Accidens*. Poſſum tamen dicere: *Ovum eſt album*. Quia *Idem Subjectum*, quod eſt Ovum, eſt *idem*, quod eſt *album*: Et τὸ Album dicit duo: Unum in *Rectò*, nimirùm *Rem*, quæ habet *Albedinem*; Et alterum in *Obliquo*, ipſam ſcilicet Formam, quæ habetur. Eſtque expreſsè hic ſenſus: *Ovum eſt Ovum album*; *Res*, quæ eſt Ovum, eſt *Res* quæ *habet albedinem*.

Turbetur nemo terminis in *Caſu recto* & *obliquo*: nam cum unum de altero exprimitur in *Caſu recto*, *identitatem* notat. V. G. *Leo eſt animal*, *virgo eſt pulchra*, h. e. *res pulchra*. Si *in* obliquo, *aliquid* de re ſignificat. Sic non poſſum dicere: *Virgo eſt pulchredo*, ſed aliquid, quod *habet pulchredinem*, vel *pulchredine* inſtructum ornatumque eſt.

II. Aliud eſt, Prædicatio Affirmativa & Nega-

Negativa; aliud de Subjecto & Prædicato affirmatè vel negatè aliquid exprimi.

Ut, *Homo - eſt - bipes.*
Homo - non eſt - bipes.
Qui non eſt - mecum eſt - contra me.
Satan - eſt - Spiritus, qui non ſtetit in veritate.

III. Enunciationes contingentes habent *determinatam* veritatem.

* Intellige in Se: Quanquam enim intellectus *finitus* contingenter futura *neque ex Cauſis* tutò colligere poſſit, neque *in ſeipſis*, (quæ DEI perfectio eſt) futura tanquam coram exiſtentia intueatur; *determinatè* tamen vera ſunt, aut falſa. Neque *fluctuat* veritas, quemadmodum imprudentes opinantur. Huc refer ſis *Scientiam Mediam* in Theologia decantatam.

CAPUT VII.
DE
DIVISIONE ENUNCIATIONIS RATIONE QUANTITATIS.

Quomodo dividitur Enunciatio ratione Quantitatis?

Ratione Quantitatis Enunciatio eſt *Univerſalis*, *Particularis*, *Indefinita* vel *Singularis*,

Adcu-

Adcuratiùs Enunciatio *ratione Quantitatis* dividitur in *Diſtributivam* & *Singularem*. Diſtributiva eſt *vel indefinita*, quæ conſtat Subjecto diſtributivo *non diſtributo*. Ut lapis tendit deorſum; vel *Definita*, quæ conſtat Subjecto diſtributivo *diſtributo*. Et hæc DEFINITA iterum eſt vel *Univerſalis*, vel *Particularis*.

Quæ eſt Enunciatio Univerſalis?

Cujus Subjectum Signo Univerſali, ſive Affirmativo, ſive Negativo difinitum eſt.

Ut, *Omnis credens ſalvatur.*
Nullus incredulus ſalvatur.

Quæ ſunt Signa Univerſalia?

Signa Univerſalia Affirmativa ſunt: *Omnis, quicunq; ſinguli, uterq; &c.* Negativa: *Nullus, nemo nihil, neuter.*

Signantur literis A & E; hinc verſiculus:
Aſſerit A; *Negat* E; verum *generaliter* ambæ.

* Nota. Literæ A. E.' ut & I. O. propterea inventæ ſunt, ut ſerviant dignoſcendis ſyllogiſmorum *modis*, & reductionibus. ut, CEſArE, CAmEſtrEs.

Quæ eſt Enunciatio Particularis?

Cujus Subjectum ſigno Particulari rurſus ſive affirmativo, ſive negativo definitum eſt. *Ut*,

Quidam *homines credunt.*
Quidam *homines non credunt.*

Quæ ſunt ſigna Particularia?

Signa Particularia Affirmativa ſunt:

Qui-

Quidam, aliqui, multi, &c. Negativa: Non omnis, quidam non, pauci, rari &c.

Signantur literis J. & O. juxta verſum: *Aſſerit* J. *Negat* O; ſed *particulariter* ambæ.

Quæ eſt Enunciatio Indefinita?

Cujus Subjectum nullo ſigno definitum eſt. *Ut*,

Planta floret.

Observa. Si materia eſt *neceſſaria*, tùm Enunciatio indefinita admittit Signum *Univerſale*; Si *Contingens*, *Particulare*, ex gr. Propoſitio: *Homo eſt Animal*, admittit ſignum *univerſale*: *Omnis* Homo eſt animal: quia animal de homine prædicatur *neceſſariò*. Contra Propoſitio: *Homo eſt doctus*: non niſi *particulare* ſignum admittit: *Quidam* Homo eſt doctus, quia doctrina de Homine prædicatur *contingenter*.

Quæ eſt Enunciatio Singularis?

Cujus Subjectum eſt Individuum. Ut,

Alexander Magnus eſt Rex.

Bucephalus eſt equus.

Subjectum Enunciationis Singularis aliud dicitur *Simplex*, Ut, *Hic liquor eſt vinum*: *hæc beſtia mordet.* Aliud *Complexum*, quod rem *continentem* cum *contentâ* ſimul innuit; ut, ſi dolium monſtrans dicas; *Hoc eſt vinum Rhenanum.*

Et hæ Enunciationes dicuntur *Exhibitivæ*, Ad quas referunt *Sacramentales*:

Hoc eſt Corpus meum.
Hoc eſt Sanguis meus.

CA.

CANONES.

I. In Enunciatione affirmativâ *diſtribuitur* Subjectum; In Negativa Subjectum & Prædicatum, Ut,

Omnis Homo eſt animal. id eſt,
Et Petrus *eſt* aliquod *animal*; *Et* Paulus *&c.*
Nullus homo eſt lapis. id eſt,
Nec Petrus, *nec Paulus* &c. Eſt *nec* ille, *nec* iſte, &c. *Lapis.*

OBSERV. I. Quando aliquid *negatur* de aliquo, illud fit non ſecundum *comprehenſionem*, ſed *deſcenſionem*. Do Exemplum. *Nullus homo* eſt BRUTUM. *Brutum* negatur de homine, quoad *deſcenſum ad inferiora*, qualia ſunt, *Leo*, *aſinus*, *equus &c.* Minimè verò ſecundum omne id, quod in conceptu bruti *materialiter* continetur: quale eſt, notio *Subſtantiæ*, *Viventis*, *animalis*. Hæc enim de homine negari *non poſſunt*, nec *debent*.

II. Affirmatio econtrariò UNIT prædicatum Subjecto quoad *comprehenſionem*, minime vero ſecundum *deſcenſionem*. Sic homo eſt *animal*, *ſubſtantia*, *vivens* &c. minime vero *beſtia*, quæ ut *Species* ſub animali continetur.

II. Vox *Omnis* accipitur Synecdochicè, Collectivè & Diſtributivè.

1. *Synecdochicè* pro majori parte, für viele / ut; *Omnis Judæa exivit ad Johannem.*

Matth. II. 3. *Omnis Hieroſolyma*, (ſive omnes incolæ Hieroſolymitani) *perturbata eſt*, id eſt, *plerique*.

* Adde, & quandoque *limitatè*; Quomodo enim ad hunc Syllogiſmum reſponderi poſſet. Omne Animal erat in Arcâ Noæ: Atqui piſces erant animalia: E. Niſi *limit*, *Maj*, h. m. omne animal, *ſcil. quod extrà aquas degere*

gere poteſt, erat in arcâ. Pariter, ad Syllogiſmum: omne id, quod non ex fide eſt, peccatum eſt: Atqui fides ipſa non eſt ex fide. E. peccatum eſt. Niſi rurſus *limit. Maj.* Omne OPUS, non omne ENS, quod non ex fide eſt, eſt peccatum. Quâ ratione Vox omnis ſumitur & explicatur. 1 Cor. XV. 27. Omnia ſubjecit ſub pedibus ejus. Cùm autem dicat: *omnia* ſubjecta ſunt ei, ſine dubio ſubintelligendum, *præter eum*, qui ſubjecit ei omnia.

2. *Collectivè*, pro ſingulis ſimul ſumptis, für den gantzen Hauffen.

Omnes Evangeliſtæ ſunt quatuor.
Omnes Viri erant ferè duodecim. Actor. 19. v. 9.
Omnes Würtembergenſes ſunt totus Ducatus.

Ubi notandum, quod in hujusmodi Enunciationibus Vox *Omnis* ſit *pars Subjecti*, non nudum *Syncategorema*.

3. *Diſtributivè*, idque VEL *incompletè*, pro generibus ſingulorum, für allerley. Ut, Matth. III. 8. c. IV. v. 23. *curavit omnem morbum*, id eſt, *Omnis generis*, allerley Kranckheiten.

VEL completè, pro ſingulis Generum, für alle und jede. Et hoc ultimo modo ſumtum facit Propoſitionem *Univerſalem.*

III. Signum quantitativum debet addi Subjecto, non Adjuncto vel Syncategoremati Subjecti, ſique fiat, Signum quantitativum non erit. v.g.

Omnis hominis, aliqua pars eſt caput.
Omnis contradictionis altera pars eſt vera.

Hic τὸ *Omnis* non eſt *Signum* quantitativum propoſitionis, quæ ſic debeat formari.

Aliqua pars hominis cujusvis *eſt caput.*
Altera pars Contradictionis cujusvis *eſt vera.*

Talia

Talia docentur, ne quæ *Latinis verbis* recte proponuntur, *in Logico ſenſu* Tyronem confundant.

IV. Vox *multi* pro ratione materiæ ſignificat modò *particulariter*, modò *univerſaliter*.

* Ex.gr. *Particulariter* ſumitur Joh.II.23.multi crediderunt in nomen Jeſu Chriſti.

At *univerſaliter* Matth.XXII.v.14. Multi ſunt vocati.h.e.omnes. Dan.XII.v.2. Multi reſurgent,h.e. omnes homines Rom.V.19. Per unum hominem multi peccatores facti ſunt. h.e.omnes in univerſum homines, naturali generatione ab Adamo deſcendentes.

CAPUT VIII.
DE
ENUNCIATIONE COMPOSITA MAGIS IMPLICITA, SIVE EXPONIBILI.

Dictum ſuperius fuit Cap.III. aliam propoſitionem SIMPLICEM, aliam COMPOSITAM eſſe. Jam de COMPOSITIS, quarum *duplex* ordo. Quædam *implicitæ*, quædam magis *explicitæ* ſunt. Hic de magis *implicitis* agemus, Hoc eſt, de propoſitionibus *exponibilibus*.

Quid eſt Propoſitio Exponibilis?

Quæ exponi poteſt, & debet, majoris lumi-

luminis gratia, & in plures propoſitiones propterea diducitur.

Quotuplex eſt Enunciatio Exponibilis?

Quadruplex: Excluſiva, Exceptiva, Limitativa, Comparativa.

Quare Sic vocantur?

Quia conſtant Signis *excluſivis*, *exceptivis*, *limitativis*, vel *comparativis*. Ut,

Solus Deus eſt adorandus.
Omnis homo, *præter Chriſtum*, eſt peccator,
Homo quà peccator, *eſt mortalis*.
Leo præſtat *Aſino*.

Quid eſt Exponibilis EXCLUSIVA?

Quæ conſtat Signo excluſivo, quale eſt, *ſolus*, *tantum*, *duntaxat*, *nonniſi* &c. ut,

Solus Deus eſt adorandus.
Virgilius eſt *tantum* Poëta.

* Nota. Signum excluſivum quandoque ſubintelligi: v. gr. Matt. XIX. 2. *Duo* erunt in carnem unam: hoc eſt, *tantùm* duo, mas ſcilicet & fœmina, non tres, quatuor, aut plures. 1. Joh. V. 7. 8. tres ſunt, qui teſtantur in cælo &c. ſubintellige *tantùm*, neque plures, neque pauciores.

OBSERV. Excluſiva vel eſt *Subjecti*, quando *alia* Subjecta excluduntur à *communione* Prædicati. Ut,

Solus Homo eſt rationalis.
i. e. *Aliud omne*, quod *non eſt homo*, non eſt rationale. Item, *Sola fides juſtificat*: h. e. aliud quam Fides non juſtificat.

Vel *Prædicati*, quando alia Prædicata excluduntur à communione Subjecti. Ut,

Elementa ſunt *tantùm* quatuor.

i. e. Elementa ſunt quatuor, non *majoris* nec *minoris* numeri, ut numerus *binarius*, ſeu *quinarius* à Subjecti Communione arceatur.

* Sic *veræ* ſunt hæ Excluſivæ *Subjecti:*

Solus Deus eſt adorandus.

Solus Chriſtus eſt Filius Dei.

At *falſæ* ſunt Excluſivæ hæ *Prædicati*:

DEUS eſt *ſolùm* adorandus.

Chriſtus eſt *tantùm* Filius DEI.

Nam DEUS eſt quidem *ſolus* adorandus, ſed non eſt *ſolùm* adorandus, verùm etiam *timendus*, *diligendus* &c. Chriſtus quidem *ſolus* eſt eſſentialis DEI Filius, ſed non eſt *ſolùm* Filius DEI, verùm etiam *Filius hominis*.

Quid eſt Exponibilis EXCEPTIVA?

Quæ abundat Signo Exceptivo, v. g. *Præter*, *Præterquam*, *Ni*, *niſi*, *Excepto* &c.

Iterum nota: Quod alia ſit Exceptiva *Subjecti*: ut,

Omnes homines, *præter octo*, perierunt in Diluvio.

Nemo novit filium, *niſi* Pater.

Alia *Prædicati*. Ut,

Chriſtus factus eſt nobis per omnia ſimilis, *excepto peccato*.

Quando id, quod videtur excipi, non continetur ſub eo, à quo videtur excipi, tunc non eſt Exceptiva, ſed *Adverſativa*. Ut, Non juſtificamur ex operibus legis, *niſi per fidem*, id eſt, *ſed per fidem*. Fides enim non continetur ſub operibus legis, ſed iis opponitur.

Apoc. XXI. v. 27. *Non intrabit in cœleſtem Hieroſolymam*

mam aliquid inquinatum, NISI qui ſcripti ſunt in libro vitæ, id eſt, ſed, *qui ſcripti ſunt*, *illi intrabunt.*

Quid eſt Enunciatio LIMITATIVA?

Ea eſt, quæ conſtat ſigno limitativo: *Quatenus*, *Qua*, *Quantum*, *Quoad*, *Secundum* &c.

Eſt autem vel *Reduplicativa*, cùm Signum continet cauſam, vel rationem *propter quam*, aut conditionem *ſine qua non* Prædicatum Subjecto tribuitur. Ut,

Homo, *quà* peccator, eſt mortalis.

Ignis, *quatenus* manui admovetur, urit.

Vel *Specificativa*, cùm Signum continet *modum*, *partem*, *ſpeciem*, *connexionem*, vel rationem, *ſecundùm quam* prædicatum Subjecto tribuitur.

Ut, intellectus, *quatenus* in operando dirigibilis, eſt Objectum Logicæ.

Homo, *quà* capillos, eſt criſpus.

Æthiops, *quà* dentes, eſt Albus.

Homo, *quà* rationalis, eſt Diſciplinæ capax.

Clarius: Propoſitio reduplicativa eſt, cùm termini cohærent eſſentialiter. ut, *homo quà homo* eſt rationalis: brutum, *quà animal*, *ſentit*. Specificativa, cùm non cohærent eſſentialiter: Ut, Chriſtus *ſecundum carnem* eſt paſſus, Socrates *quà pedes* eſt claudus.

Quid eſt COMPARATIVA?

Ea, quæ conſtat Signo comparativo: *magis*, *minus*; *major*, *minor*; *præ*, *quam*; *non tàm*, *quàm*; vel etiam *non*, pro *non præcipuè*, Ut,

Sol *major* eſt Lunâ.
Hoſeas eſt *Senior* Eſaia.
Obedientia *præſtat* Holocauſtis.
Chriſtus unctus eſt oleo lætitiæ *præ* Conſortibus.
Præſtat cœleſtia curare, *quàm* terreſtria.
Paulus Eccleſiæ Chriſtianæ *plus* profuit, *quàm* Petrus.
Chriſtus miſit me (Paulum) *non* ad baptizandum, *ſed* ad prædicandum Evangelium. 1. Cor. 1, 17.
Tolerabilius judicium imminet Tiro & Sidoni, quàm urbi Capernaum. Matth. XI. v. 22.

Eſt autem Comparativa alia *Propria*, alia *Impropria.*
Propria, cùm Prædicatum Poſitivum utrique competit, ut in exemplis jam adductis. Licet enim dicere:

Sol eſt magnus, & *Luna eſt magna*: *&c.*

Impropria, cùm Prædicatum competit vel *alterutri tantùm*, Ut,
Præſtat nubere, *quàm* uri;
Publicanus abivit juſtificatus *præ* Phariſæo.

Hic enim dici poteſt:
Bonum eſt nubere. *Sed*
Non eſt bonum uri.
Publicanus abivit juſtificatus. Sed
Phariſæus non abivit juſtificatus.

Vel *neutri*, Ut,
Scortatio *melior* eſt adulterio; neque enim Scortatio bona, neque adulterium bonum eſt, ſed utrumque vitium, adeoque moraliter malum.

Exponi-

Exponibilibus hiſce annumerari poſſunt Enunciationes *Inceptivæ*, & *Deſitivæ*, quæ conſtant verbis Incipiendi, & Deſinendi, Ut,

Mundus *cœpit* eſſe.
Johannes *cœpit* prædicare.
Chriſtus *incepit* ἐκθαμβεῖν.
Manaſſe *deſiit* peccare.
Vetus Teſtamentum *ceſſavit*, abrogatum eſt &c.

ADPELLANTUR hæ Propoſitiones Exponibiles; Cedò modum exponendi.

I. *Facultas* exponendi à *rationis dexteritate* primariò ſumitur. II. *à Statu* controverſiæ. III. à Scopo & *intentione dicentis*. IV. à *Praxi* Logicorum.

Obſerva: Quòd aliæ Exponibiles ſint *Affirmativæ*, aliæ *Negativæ*.

Affirmativæ ſunt, quarum nec Signum, nec Copula negatione afficitur. Ut,

Solus Leo rugit.

Negativæ, quarum vel *Signum*, vel *Copula*, vel *utrumque* negatione afficitur. Ut,

Non Solus Leo eſt animal.
Solus fidelis *non damnatur*.
Non Solus homo *non eſt* quadrupes.

Et poſſunt non tantùm *explicari* per alias particulas, ſed etiam *exponi* per plures Enunciationes, quas *virtualiter* continent, unde etiam *Exponibiles* dicuntur. Eamus per Exempla:

EXPONE EXCLUSIVAS.

PRIMO loco adparet Propoſitio *Excluſiva*, & quidem SUBJECTI.

(α) *AFFIRMANS:*

Solus Deus eſt adorandus. id eſt,
Deus eſt adorandus. Et,
Qui non eſt DEUS, non eſt adorandus.

(β) *NEGANS:*

1. Non *ſolus* Leo eſt animal. id eſt,
Leo eſt Animal. Et
Aliquid, quod non eſt Leo, etiam eſt Animal.

2. *Solus* fidelis non damnatur, id eſt,
Fidelis non damnatur. Et,
Qui non eſt fidelis, damnatur.

3. *Non ſolus* homo *non eſt* quadrupes. i. e.
Homo non eſt quadrupes. Et
Aliquid, quod non eſt homo, etiam non eſt quadrupes.

Propoſitio Excluſiva PRÆDICATI ſic exponitur:
Virgilius eſt *tantùm* Poëta. id eſt,
Virgilius eſt Poëta. Et
Virgilius nihil aliud eſt, quàm Poëta.

Sc. non *abſoluté*, eſt enim *homo, animal* &c. ſed *in genere artis*, id eſt, Virgilius non eſt *Mathematicus*, *Orator* &c.

Et ſic in cœteris, ſi Excluſiva *abſoluté* Conſideretur. ALIA veró ratio eſt, ſi Conſideretur *Comparativé* ad *Intentionem dicentis*, & pro *ſtatu Controverſiæ.* Sic hæc:
Solus Papa eſt Anti-Chriſtus.
Si *abſoluté* Conſideretur, ita exponi debet:
Papa eſt Anti-Chriſtus. Et,
Qui non eſt Papa, non eſt Anti-Chriſtus.
Et hæc *Negativa:*
Non ſolus Papa eſt Anti-chriſtus.
Abſoluté ita exponitur:

Papa

Papa eſt Anti-Chriſtus. Et,

Aliquis, qui non eſt Papa, etiam eſt Anti-Chriſtus. (Mahomet)

Quia Negatio *immediaté cadens ſuper Signum* excluſivum, videtur *ſolum Signum* negare. At ſiquis in conflictu proferat hanc:

Solus Papa eſt Anti-Chriſtus.

Et Pontificius ei contradicat:

Non ſolus Papa eſt Anti-Chriſtus.

Secundum ipſius Intentionem utiq; Negatio caderet *ſuper Signum,* & *Copulam* ſimul, hoc ſenſu:

Papa non eſt Anti-Chriſtus, *nedum ſolus*, vel: nec eſt, nec ſolus.

EXPONE EXCEPTIVAM.

Hoc fit per *ſubſtitutionem* τȣ QUOD NON: quo facto, facile *reſolvitur* propoſitio in duas pluresve *virtualiter* in priore contentas: v. g.

Omne Ens, *præter DEUM*, eſt creatum, id eſt,

Omne Ens, *quod non eſt Deus*, eſt creatum.

Differentia eſt in Eo; quomodo *Affirmativæ* & *Negativæ* exponantur.

AFFIRMATIVAS ſic reſolve:

Omnis homo, *præter Chriſtum*, eſt peccator.

Dic: *Omnis homo eſt peccator* : Sed *Chriſtus non eſt peccator.*

NEGATIVAS hoc modo:

Nullum animal, *præter Gallinam*, glocitat.

Dic: Nullum animal, *quod non eſt Gallina*, glocitat. Hanc propoſitionem priori jam faciliorem *diſtende* & *reſolve* in alias propoſitiones. h. m.

Gallina glocitat: Sed

Animal, quod non eſt gallina, non glocitat.

EXPLICA & reſolve LIMITATIVAS.

Limitativa *REDUPLICATIVA* explicatur per QUIA. Ut,

 Homo

Homo, *quà* eſt peccator, eſt mortalis.
Explicatur per hanc:
Homo, *quia* eſt peccator, eſt mortalis.
Et reſolvitur in has:
Homo eſt Peccator.
Homo eſt mortalis.
Peccator eſt mortalis.
Peccatum eſt cauſa mortalitatis.

SPECIFICATIVA *explicatur* aliquo modo per *Qui, Quæ, Quod*, Ut,
Homo, *quà* capillos, eſt criſpus.
Explicatur per hanc:
Homo, *qui habet* capillos, eſt criſpus.
Reſolvitur in has:
Homo habet Capillos.
Homo eſt criſpus.
Capilli ſunt criſpi.

Expone COMPARATIVAM.

COMPARATIVA *Propria exponitur* per *Exceſſum*;
Impropria, & quidem *Minùs* talis per *Oppoſitum*: *Magis Impropria* per *Non* & *Si*. Ut,

1. Sol eſt *major* Lunâ. id eſt,
Sol eſt magnus. Et *Luna eſt magna.* Sed
Sol excedit, vel ſuperat Lunam magnitudine.
2. *Præſtat* nubere, quàm uri. id eſt,
Nubere eſt bonum.
Uri non eſt bonum.
3. Scortatio *melior* eſt adulterio. id eſt,
Scortatio non eſt bona. Nec:

Adulte-

Adulterium eſt bonum. Si tamen
Scortatio & Adulterium eſſent bona.
Scortatio eſſet melior Adulterio.

Sic etiam de *Inceptivis* & *Diſtivis* judicandum:
Inceptiva exponitur per *non fuit*, & *eſt*;
Deſitiva per *fuit*, & *non eſt*, Ut,
Mundus *cœpit* eſſe. id eſt,
Mundus non fuit. Et
Mundus eſt.
Manaſſe *deſiit* peccare. id eſt,
Manaſſe peccavit. Et
Manaſſe non peccat.

Sed obſerva *Cautelam*: quod in NEGATIVIS hoc non procedat, ſic Propoſitio
Johannes *non deſijt* furari.
Non poteſt exponi per hanc:
Johannes furatus eſt.
Johannes furatur adhuc.

Quia, & qui cœpit, & qui non cœpit furari, dici poteſt, *Non deſiiſſe.* Qui continuat actum, *non deſiit.* Et qui *nunquam cœpit*, etiam non poteſt deſinere. Sic iſta: *Deus non cœpit eſſe*: non continet has:
Deus non fuit. Deus non eſt.

Quia ꝺ *Non incipere* quàm maximè competit ei, quod eſt æternum, quod eſt, ESSE à SE ſine principio.

CAPUT IX.
DE ENUNCIATIONE COMPOSITA MAGIS EXPLICITA, SIVE HYPOTHETICA.

1. *Quomodo dividitur Enunciatio Hypothetica?*

In Conditionalem, Disjunctivam, & Copulativam.

1. Qua

1. *Quæ eſt Enunciatio Conditionalis?*

In qua plures Enunciationes cohærent per Conjunctionem *Si*, *niſi*, *Ut*, Si *Petrus credit*, *ſalvatur*.

id eſt: Petrus ſalvatur, Si Petrus credit.

Si Chriſtus reſurrexit, *etiam noſtra corpora reſurgent*. id eſt, Corpora noſtra reſurgent, *ſi*, vel *poſito* eo quòd Chriſtus reſurrexit. Item: *Niſi* quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non intrabit regnum cœlorum.

Nemo intrabit in Regnum Cœlorum, *Niſi* renatus.

* Poteſt etiam *alio modo* fieri; prout ratio cuique dictitat v. g. per *Oportet*, non *aliter &c*. *Oportet* renatum eſſe, qui velit intrare regnum cœlorum: *Non alius*, quàm renatus intrabit. Qui *non* renatus eſt, non intrabit: ſeu: *Non renatus* non intrabit &c.

2. *Quæ eſt Enunciatio Disjunctiva?*

In qua plures Enunciationes cohærent per Conjunctionem Disjunctivam, *vel aut*, &c.

Ubi vel de eodem ſubjecto diverſa prædicata ſub disjunctione enunciantur. ex. gr. Petrus eſt aut doctus, aut indoctus i. e. Petrus eſt doctus, poſito quòd Petrus non ſit indoctus (& viciſſim.)

Vel de diverſis ſubjectis idem Prædicatum. ut: Aut dies, aut nox exiſtit: h. e. Dies exiſtit, poſito quod Nox non exiſtat. (& viciſſim.)

3. *Quæ eſt Enunciatio Copulativa?*

In qua plures Enunciationes cohærent per Conjunctionem, *&*, *atq;* &c. Ut,

Et

Et homo & brutum eſt Animal.
id eſt, Homo eſt animal. Et
Brutum eſt animal.
Nox & Amor, vinumque nihil moderabile ſuadent.
id eſt: Nox nihil moderabile ſuadet. Et
Amor nihil moderabile ſuadet. Et
Vinum nihil moderabile ſuadet.

Huc etiam referri poteſt Enunciatio

1. RELATIVA, in qua plures Enunciationes cohærent per Conjunctiones *Relativas.* Ut,

Sic Deus dilexit mundum, *Ut* Filium ſuum unigenitum daret.
Continet has propoſitiones:
Deus dilexit mundum.
Deus dedit Filium ſuum unigenitum.

2. ILLATIVA, & (quam cum Vulgo ad *Exponibiles* adduximus) *Reduplicativa.* Quando Enunciationi *principali*, aliqua *minus Principalis* jungitur per particulam Cauſalem implicitam: *Quia, Qua, Quoniam.* ex. gr. Propoſitio Compoſita.

Beati mundi corde, *quia* videbunt Deum: reſolvi poteſt in has Simplices: *Mundi corde ſunt Beati.*
(Quia) *mundi corde videbunt Deum.*
Homo, *qua* animal, ſentit.
in has: *Homo ſentit.*
(Quia) *homo eſt animal.*
Deus dedit Filium ſuum, *ut* in eum credentes vivant.
in has: *DEus dedit Filium ſuum.*
Credentes in Filium Dei vivunt.

3. DISCRETIVA (ad quam etiam referri poſſet *Exceptiva*) quando Enunciatio Enunciationi jungitur per particulas diſcretivas, *Sed, At, Alias, niſi, adverſative ſumtum &c.* ex. gr.

Non formoſus erat, *ſed* erat facundus Ulyſſes.
in has; *Ulyſſes non erat formoſus,*
Ulyſſes erat facundus.

Impli-

Impius ut gramen, *at* juſtus ceu palma virebit.
Floret hic æternùm; tempore *at* ille brevi.

CUI BONO hæc diſcuntur & docentur?

Ut diſertè, QUICQUID in propoſitione virtualiter continetur, clariſſimis prolatum verbis dignoſcatur, atque ita *fallaciis*, & captiunculis rima obſtruatur.

* En *rationem generalem*! Omnis *Confuſio* nocet officio Logices, & intellectui humano: Inde *error*! Sed *confuſionem cum errore* naſci neceſſe eſt, quamdiu Veritates ſibi implexæ non evolvuntur.

CANONES
ET OBSERVATIONES.

I. Aliud eſt Enunciatio Conditionalis, Copulativa, Disjunctiva &c. Aliud Enunciatio de Subjecto, vel Prædicato, vel utroque Conditionali, Copulativo, Disjunctivo &c. Sic non ſunt formaliter Conditionales, Copulativæ, & Disjunctivæ:

Omnis homo, *ſi* pœnitentiam egerit, veniam impetrabit.
Duo & Tria ſunt quinque.
Omne peccatum eſt originale, *vel* actuale.

* Ratio eſt, quia *Conditio*, *Conjunctio*, & Disjunctio COPULAM quaſi animam Propoſitionis, debet afficere, non extremâ, *Subjectum*, aut *Prædicatum*.

II. *Affirmatio* & *Negatio* Hypotheticacarum

carum deſumi debet non ab extremorum *habitu*, *ſed affectione* ipſius Copulæ.

v. g. Si Petrus *non* reſipiſcit, *non* ſalvatur.

Negativa eſt. Ratio, quia æquipollet huic:

Petrus impœnitens *Non ſalvatur*.

Affirmativa é contrario eſt hæc:

Non, ſi Petrus *non* reſipiſcit, *non* ſalvatur. æquipollet enim huic,

Petrus, etſi impœnitens, *eſt* ſalvandus.

III. Conditionalis nihil ponit in eſſe.

H. E. *Conditionalis* nihil affirmat, & negat. Puta *quà antecedens*, at bene *quà conſequens*.

v. g. *Si aſinus volat, habet alas*, non affirmatur quidem antecedens *aſinum volare*: Hoc tamen innuitur *ſi volaret*, *habiturum alas*.

Obiter verò *notandum*: quædam conditionatè proponi poſſe, non quod *in dubium* vocetur *antecedens*; ſed ut tanto magis adpareat *ejusdem neceſſitas*.

v. g. Si *DEUS non cuſtodit urbem*, *fruſtra vigiles vigilant*. *Antecedens* non eſt dubium, nedum *impoſſibile*: Sed hæc conditionalis vehementius infert neceſſitatem antecedentis.

IV. Conditio Impoſſibilis æquipollet abſolutæ neganti. (*materialiter*) Ut,

Si *Diabolus reſipiſcit ſalvatur*. Idem eſt ac: *Diabolus non ſalvatur*.

(Quia) *Diabolus non reſipiſcit*.

V. Veritas propoſitionis Conditionalis pendet ex Veritate totius.

Poteſt enim & Antecedens, & Conſequens eſſe falſum, *Conditionali verà*, Ut, *Si*

Si Aſinus volat, habet pennas.

VI. Veritas Copulativæ pendet ex Veritate omnium partium. Hoc eſt, non ſufficit, *unam alteramve* partem convenire Subjecto, ſed oportet, ut OMNES eidem conveniant. *Sic fallit iſta:*

Et dives eſt Epulo, & benignus.

VII. Veritas Disjunctivæ pendet ex Veritate unius patris, *Ut,*

Aut fide juſtificamur, aut bonis operibus.

CAPUT X.
DE
AFFECTIONIBUS ENUNCIATIONUM, IN SPECIE DE OPPOSITIONE.

Quæ ſunt Affectiones Enunciationum?

Oppoſitio, Subalternatio, Converſio, Conſecutio & Æquipollentia.

OBSERVATIO GENERALIS.

* Conſiderandum eſt, Affectiones has *diverſi ordinis* eſſe: OPPOSITIO uſum habet præſertim in deductione *ad abſurdum*, magno pertinacium fræno, qui temerè aliquid affirmant, vel negant: Oggerendo illis ſtringentiſſimum illud ἄλυσμα: ERGO OPPOSITUM DEBET ESSE VERUM

Adde:

Adde: quòd *contraria juxta ſe poſita magis elu-ceſcant.*

Ita SUBALTERNATIO luminis nonnihil accendit ad dignoſcendas Veritates Enunciationum. Sed CONVERSIO, CONSECUTIO & ÆQUIPOLLENTIA exigui, vel plane nullius ſunt momenti.

Etenim ſciendum (α) quòd Logicorum *Speculationes* & *conflictus* eò collimârint hactenus, ut in FORMA procederetur. Forma autem illa non quidem arbitraria, ſed *nimium impedita* eſt, ut, ſi ad Syllogiſandi modum *à naturaliſſimo* diverſum, etſi juſtiſſimum, abeatur, *facilè ceſpitet* intellectus hominis, regularum, & tricarum eò pertinentium non ſemper memoris: Imò pateat aditus in *varias Sophiſticationes.* (β) Propterea etiam factum eſt, ut Logici *ſecundam*, *tertiam* & *quartam* Figuram reducerent AD PRIMAM, ubi minus periculi à fallaciis, major & *apertior* vis conſecutionis ex ſitu terminorum valde naturali. Huic reductioni promovendæ à Logicis inventa ſunt adminicula *Converſionis*, *Æquipollentiarum*, *Conſecutionum*, *Literarum* in Modis *Syllogiſticis*, modorumque *Diverſitates.* Verùm enim verò (γ) diffiteri nemo poteſt, quòd quidem *Modi* & *Figuræ* Syllogiſandi fundamentum habeant ferè Mathematicum, & ſubtile in noſtrâ Ratione (demonſtrante *Hiſpano Izquierdo in Pharo ſcientiarum* prope ſub finem) ut nihil ſit efficacius ad eliciendam, & Veritatem, & Veritatis ab adverſario Confeſſionem: Nihilominus quòd obſoleſcat hic modus diſputandi *ſpinoſus*, *anceps*, & *impeditus*, ſequentes ſunt prudentum noſtri ſeculi rationes.

1. *Quia petulantis* eſt Sophiſtæ per anfractus, & tenebras *Modorum obſcuriorum* abire, cùm

APER-

APERTE, & in *prima Figura* ſimpliciſſimè loqui poſſit. Hinc talis non audiendus.

2. *Moraliter impoſſibile* eſt, ut is, qui tales ſpinas, & eò pertinentes regulas non ſemper exercet, *Sophiſtarum, talia callentium*, inſidias evitet.

3. *Romano Catholici* inprimis abutuntur iſtis tricis, & neglectis realibus, confundere his artibus colloquentes ſtudent. Unde

4. Integræ nationes, *Anglicana* imprimis Eccleſia, odio habet ejusmodi *laqueos*, proſcriptis hiſce artificioſis, & operoſis nugis, & *ſancitâ* diſcurſuum eâ *facilitate*, quæ propoſito Medio termino, *ſimpliciſſimè Conſequentiam* nectat. Quod optimum!

5. Idcircò, ſi aboleatur ſubtilior illa diſputandi ratio, concidet integra ferè *Machina paganæ* illius *Logicæ*, quam magno cum, & Veritatis, & temporis diſpendio tractatam fuiſſe prudentes, piique viri conqueruntur. Plus dicam: *Ipſi* Logicis nugis innutriti, ſi reſipiſcant, cum dolore confitentur; queis *piaculo* & *pudori* eſt, vel ſcripto, vel ore, *alienum* à *ſimplicitate* differendi modum ulterius, (ne *Pedantiſmi* notam juſtiſſimam incurrant) moderno ſtylo adhibere.

Quod monendum duximus.

Quid eſt Oppoſitio?

Oppoſitio eſt Affirmatio, & Negatio ejusdem prædicati, de eodem ſubjecto, *Ut*,

Petrus eſt doctus.
Petrus non eſt doctus.

Quotu-

Quotuplex eſt Oppoſitio?

Triplex: Contraria, Subcontraria, & Contradictoria:

Quod ſequenti Verſu complexa eſt Antiquitas

Sunt Contraria AvE; *ſed* Sub-Contraria fIO;
Aſt AmOr, *&* ſEcI Contradictoria *ſemper.*

1. *Quæ eſt Oppoſitio Contraria?*

Inter duas Univerſales. *Ut,*

A. *Omnis equus eſt quadrupes.*
E. *Nullus equus eſt quadrupes.*

2. *Quæ eſt Oppoſitio Sub-contraria?*

Inter duas Particulares *Ut,*

I. *Quoddam animal eſt bipes.*
O. *Quoddam animal non eſt bipes.*

3. *Quæ eſt Oppoſitio Contradictoria?*

Inter Univerſalem & particularem, ut & inter duas ſingulares. *Ut,*

A. *Omnis credens ſalvatur.*
O. *Non omnis credens ſalvatur.*
E. *Nullus homo eſt doctus*
I. *Quidam homo eſt doctus.*
Petrus ſalvatur.
Petrus non ſalvatur.

Schema Oppoſitionis.

O. homo eſt bipes. Contrariæ *N. homo eſt bipes.*



Q. homo eſt bipes. Subcontrariæ. *Q. homo non eſt bipes*

CANONES
ET
OBSERVATIONES.

I. Oppoſitio fiat ſecundum IDEM, AD IDEM, EODEM MODO, & EODEM TEMPORE. Hæc Regula magnæ eſt utilitatis.

Dicitur 1. *Secundum idem*, κατὰ τὸ αὐτὸ. Ut ſint *iidem* in utraque Enunciatione termini. Sic non ſunt oppoſita:

Bona opera ſunt *neceſſaria* ad ſalutem.

Bona opera ſunt *pernicioſa* ad ſalutem, quod falſum; debuiſſet verò dici:

Bona opera *non ſunt neceſſaria* ad ſalutem.

Id

Id quod *verum* eſt in Articulo *Juſtificationis*.

Ex hoc patet, *Subcontrariam* non eſſe veram Speciem Oppoſitionis, quia vel non ſervatur idem Subjectum: Ut,

Quidam homo (Petrus) eſt doctus.
Quidam homo (Davus) non eſt doctus.

Vel, ſi idem maneat Subjectum, hoc ſenſu:

Quidam homo (Petrus) eſt doctus.
Quidam Homo (Petrus) non eſt doctus;

tunc ad contradictoriam refertur.

2. *Ad idem*, πρὸς τὸ αὐτὸ, id eſt, *reſpectu ejusdem tertii, partis, naturæ* &c. Sic non ſunt Oppoſita:

Latro fuit in Paradiſo (*quà animam.*)
Latro non fuit in Paradiſo (*quà Corpus.*)

3. *Eodem modo*, ὡσαύτως, *non aliter* atque *aliter*. Sic non ſunt oppoſita:

Chriſtus eſt nobiscum (*inviſibiliter.*)
Chriſtus non eſt nobiscum (*viſibiliter.*)

4. *Eodem tempore*, non *diverſo*. Sic non ſunt Oppoſita:

Salomo fuit pius (*in ætate juvenili.*)
Salomo non fuit pius (*in ætate virili.*)

II. Contrariarum unâ exiſtente vera, altera neceſſariò eſt falſa. Ut, Si vera eſt hæc:

Omnis homo eſt doctus.

Falſa erit hæc: *Nullus homo eſt doctus.*

Sed non viceversâ, Contrariarum unâ exiſtente falſâ, altera neceſſariò eſt vera; quia *Contrariæ Enunciationes poſſunt ſimul eſſe falſæ*, (in materia ſcil. contingenti) *nunquam autem ſimul veræ*, nec in materiâ neceſſariâ nec in contingenti; qui Canon magni uſus eſt.

III. Ex veritate, vel falſitate unius Contradictoriæ, infertur falſitas, vel veritas alterius. Ut, Si vera eſt hæc:

Omne vinum calefacit.

Falſa erit hæc: *Quoddam vinum non calefacit.*

Et, ſi falſa eſt hæc: *Quoddam vinum non calefacit*; Vera erit hæc: *Omne vinum calefacit.*

Contradictoriæ enim nec ſimul veræ, nec ſimul falſæ eſſe poſſunt, uti quidem de Contrariis modò dictum.

Quapropter pervicacibus hic bolus obtruditur, uti ſuprà monitum in *Obſervatione generali.*

IV. Exponibilibus non expoſitis periculosè contradicitur. Rationem adduximus Quæſt. IV. Cap. IX. Sic periculosè contradicitur ex. gr. *Excluſivæ.* Nam negatio poteſt cadere vel ſuper *Signum tantùm*, vel *ſuper Signum & Dictum.* Super *Signum* tantùm, quando *Dictum* ſupponitur pro Vero. Super utrumque, quando Dictum venit in controverſiam.

Dabimus Exemplum: Si duo Pontificii diſputent, an ſolus Papa ſit infallibilis; Ille, qui contradicit: *non ſolus* Papa eſt infallibilis, non negat dictum, vel quòd Papa ſit infallibilis; de hoc enim inter utrumque convenit. Sed negat *ſignum tantùm*, quòd *non ſolus* Papa ſit infallibilis, quia ſentit, præter Papam *etiam Concilium* eſſe infallibile. At ſi Orthodoxus contradicat, quaſi laqueo conſtringetur, vel *longa expoſitione* opus habebit ſuper ſenſum ſuæ Contradictoriæ, quòd Negatio cadat ſuper ſignum & dictum. h. m. Papa non eſt infallibilis, ne dum ſolus. Cautiùs ergò contradicitur expoſitis.

CAPUT

CAPUT XI.

DE

SUBALTERNATIONE.

Quid eſt Subalternatio?

Subalternatio eſt conſenſus Enunciationum ſeſe includentium.

Includens dicitur *Subalternans*: Incluſa *Subalternata*. Nimirum A. includit I. & E. includit O.

* *Quid hoc ſibi vult?* Aſperi termini & horrentes! Scilicet ſenſus eſt: Propoſitiones *Univerſales* includunt *Particulares*, ſive affirment, ſive negent. Si enim *A. omnis homo* animam habet: Ergo & I. *quidam* Homo v. g. *Petrus*. Si E. *nullus homo* eſt arbor; Ergo O. nec *quidam* v. g. nec *Indus*, nec *Maroccanus*, neque ullus alius.

CANONES.

I. VERITAS Subalternantis infert veritatem Subalternatæ; non vice verſâ.

Hoc eſt: Non licet argumentari à particulari ad univerſale, à quodam ad OMNE, ſicut licet ab univerſali ad particulare: ſic rectè infero:

A. *Omnis homo eſt mortalis.* Ergò

I. *Quidam homo eſt mortalis.*

E. *Nulla planta ſentit.* Ergò
O. *Quædam planta non ſentit.*

At non ſequitur :

I. *Quidam Canis eſt Venaticus.* Ergò
A. *Omnis Canis eſt Venaticus.*
O. *Quoddam animal non eſt aſinus.* E.
E. *Nullum animal eſt aſinus.*

II. Econtra FALSITAS Subalternatæ infert falſitatem Subalternantis ; *non vice verſâ.*

Hoc eſt : Si particulare *eſt falſum*, etiam erit *univerſale*, at licet univerſale ſit falſum, particulare tamen verum eſſe poteſt. Ut,

I. *Quidam homo eſt arbor* : Hoc *falſum eſt.* Ergò etiam hoc,
A. *Omnis homo eſt arbor.*
O. *Quidam homo non eſt doctus.* Hoc verum eſt, at non ſequitur : Ergò
E. *Nullus homo eſt doctus.*

III. Subalternata affirmans non infert Subalternatam negantem ; *& viciſſim.*

Hoc eſt : à *particulari* ad *particulare* non valet Conſequentia E. g.

Quidam equus eſt neceſſarius ad equitandum. E.
Quidam equus non eſt neceſſarius ad equitandum.

Quidam homo non eſt juſtus. E.
Quidam homo eſt juſtus.

* Hæc omnia, quæ propoſita ſunt, *caſſis* pro *nucibus* haberi non debent. Utut enim *levia* videantur *Oſoribus*

ribus Logicæ, certum tamen eſt, *millies* in vita communi contrà has Regulas peccari. *Mathematicis* ſolenne eſt *tritiſſima* ſubſternere ſublimioribus, ne peccetur contra *ordinem* & *rationem*: Cur non & Logico eam Methodum ſequi liceat?

Schema Subalternationis.

A. *Omnis homo eſt animal.* Subalternantes. E. *Nullus homo eſt lapis.*

Subalternæ — Subalternæ

I. *Quidam homo eſt animal.* Subalternatæ. O. *Quidam homo non eſt lapis.*

CAPUT XII.

MONITVM DE RELIQVIS PROPOSITIONUM AFFECTIONIBUS.

Opus eſſet, ut jam ageremus de CONVERSIONE, CONSECUTIONE & ÆQUIPOLLENTIA. Verùm enimverò *capit. X. hujus libri* obſervavimus, tales ingenii ſive *carnificinas*, ſive *ineptias* nihil facere ad rhombum *indagandæ*, & *proponendæ* Veritatis, qui Scopus Logices eſt:

Nihilominùs, cùm in Orbe Erudito quædam ſciri debeant, ut *exprobrari* aliis poſſint, aliquas ſubjungere placet quæſtiones, *ne ſine cauſa* proſcribere nugas, *ſubtiles* quidem, ſed *otioſas*, & in tanta rerum neceſſariarumCopiâ *minus fructuoſas* videamur.

Quid eſt Converſio?

Eſt regularis permutatio *Subjecti & Prædicati.*

Quotuplex eſt?

Duplex : Simplex & per Accidens.

Quæ eſt Converſio Simplex?

Quæ permutat Subjectum cum Prædicato ſalvâ veritate, *Vel* in E. & E. h. e. duabus propoſitionibus *univerſaliter negantibus.* v. g.

E. *Nulla Creatura eſt æterna*; &
E. *Nullum æternum eſt Creatura.*

Vel in I. & I. h. e duabus *particulariter affirmantibus.* v. g.

I. Quoddam *animal* eſt *rationale.*
I. Quoddam *rationale* eſt *animal.*

*Hîc ergò, ut vides, manet & Qualitas, & Quantitas.

Quid eſt Converſio per Accidens?

Quæ permutat Subjectum cum Prædicato ſalvâ veritate, *Vel* in A. & I. h. e. unâ *univerſaliter*, alterâ *particulariter*, affirmante. v. g.

A. *Omne Saccharum* eſt *dulce.*
I. *Quoddam dulce* eſt *Saccharum.*

Vel

vel in E. & O. h. e. unâ *univerſaliter*, alterâ *particulariter* negante. v. g.

E *Nulla* talpa eſt *videns*. Et

O. *Quoddam videns* non eſt talpa.

*Hic manente Qualitate, variat Quantitas.

Hæc ex *fontibus primis* poterant derivari, ſed quia Tyronis ingenium non patitur, nec politioris ſeculi mores, ut in hoc *Ludo Regio* (Scach.) tempus teramus, transmitti hæc ſilentio par eſt. *Fontes* tamen *ipſos* cui inſpicere vacat, legat Cap. ſeq. *Claſſem II.*

Quid eſt Conſecutio?

Eſt *Conſenſus* inter propoſitionem *finitam* & *infinitam*.

*Obſerva I. *Quid propoſitio finita* vel *infinita ſit*, conſtat. Illa Syncategoremate notatur, hæc ſecus.

II. *Terminus infinitus* ille eſt, qui *Tò* NON præfixum habet, ut *Non-lapis*, *non juſtus*. h. e. innuens reliqua omnia fortè, fluctuante ſic intellectu.

III. Cauſa diſſenſus & conſenſus *eſt Eſſe* & *non Eſſe*.

En! Propoſitiones:

Quidam homo *non* eſt *juſtus*.

Quidam homo eſt *non-juſtus*.

Illa finita in prædicato eſt, hæc *infinita*. *Quomodo CONSENTIUNT?* Reſp. in *Eſt & non Eſt*. Quoniam ſicut *prior* negat de Subjecto juſtitiam, ſeparando per NON EST eam qualitatem: Ita *poſterior* affirmat *Negationem juſtitiæ*, quæ *termino poſitivo* poterat exprimi.

QUID EST ÆQUIPOLLENTIA?

Eſt conſenſus Enunciationum oppoſitarum interveniente particula NON ex alterutro latere.

v. gr. *Omnes* curant, quæ ſua ſunt.

Nemo non curat, quæ ſua ſunt.

Obſerva I. Æquipollentias propriè *ad Rhetoricam* pertinere, quæ diverſis phraſibus utitur, easque ornatè variat.

II. Certum eſt, *unam expreſſionem* clariùs ſonare, quàm alteram, ut commodum ſit, eas inter ſe permutari.

III. In Logicis æquipollentiarum ratio habetur, ut ſi *Modus* Syllogiſmi *variandus* ſit, vel *explicandus*, citra metum erroris hoc in negotio verſemur; cùm utique interſit veritatem ſectantium, ne diverſas dictiones *pro iisdem & viciſſim* accipiant.

Scire opus eſt v. g. quæ ſit differentia inter has propoſitiones:

Omnis roſa *non* floret.
Nulla roſa floret.
Nulla non roſa floret.
Nulla roſa *non* floret &c.

Ceterùm non gravabimur Æquipollentiarum *Catalogum* hîc annectere, præmiſſa *obſervatione*, quòd particula *Non* deſtruat, quicquid *poſt ſe* invenit: nimirum & *quantitatem*, & *qualitatem*. *Poſtpoſita* autem *Signo quantitatis*, *quantitatem* Enunciationis intactam relinquat.

Sunt ergò Signa Latinis Æquipollentia?

Non omnis	*Quidam-non* (eſt)
Nullus	*Non quidam.*
Omnis	*Non quidam-non* (eſt)
Nonnullus	*Quidam.*
Omnis-non	*Nullus.*
Omnis	*Nullus non* (eſt)
Non omnis-non	*Quidam.*
Non quidam-non	*Omnis.*

Linco-

Lineola tranſverſa-indicat, inter Signum & Negationem poni Subjectum. Ex. gr.

Omnis Bomo eſt animal.

Non quidam-homo-non eſt animal.

Aliâs verſibus includuntur hoc modo:

Non omnis, *Quidam non* : *Omnis-non*, quaſi *Nullus*:

Nonnullus, *Quidam*: *Sed Nullus-non*, valet *Omnis*,

Non Quidam, *Nullus* : *Non Quidam-non* valet *Omnis*:

Non alter, *Neuter*: *Neuter-non* præſtat *Uterque*.

CAPUT XIII.

OBSERVATIONES CIRCA NATURAM PROPOSITIONUM UNIVERSALIUM, ET PARTICULARIUM,

AFFIRMATIVARUM ET NEGATIVARUM.

Quemadmodum Logica eum in finem inventa eſt, ut *intellectus* ad *regularem*, & *exactam* cognitionem perducatur : ita non ſufficit, ſi propoſitionum *nomenclationes* variæque *claſſes* memoriæ imprimantur. Muniri debet *fragilis* inque *errorem proclivis* ratio aliquibus *Regulis* & *obſervationibus*, quas ſi penſi habeat, multas deceptionum inſidias evitare poſſit. Eapropter *in ſequentibus* nonnulla proponentur, quæ aliunde *partim* excerpta, *partim* aucta & immutata, diſcipulis *ſagacioribus* auxilio fortaſſe non exiguo erunt ad *judicium recte formandum*.

PRIMA CLASSIS

DE NATURA UNIVERSALIUM ET PARTICULARIUM PROPOSITIONUM.

OBSERVATIO I. *Diſtingui* debet Univerſalitatis *Species duplex*, quarum una *Metaphyſica*, altera *Moralis* vocari poſſet.

**METAPHYSICA* eſt, quando termini ſic cohærent, ut nulla unquam naſcatur, naſcique *poſſet* in contrarium *exceptio*. Sic Omnis *homo eſt rationalis*, *Omnis ſtella lucet*. Hæc tam vera ſunt, ut nulla ne ſuſpicio quidem *falſi*, aut *caſûs excepti* ſuboriri queat.

***MORALIS* eſt, quando *utplurimùm* vera ſunt, quæ dicuntur, nec niſi raro exceptionem admittunt. v. g. Paulus ait Tit. I. v. 12.

Cretenſes ſemper *ſunt mendaces, malæ beſtiæ, ventres ignavi:* Omnes *ſua quærunt, non ea, quæ Jeſu Chriſti.* Phil. II. v. 21.

Ita Horatius: Omnibus *hoc vitium eſt cantoribus, inter amicos, ut nunquam inducant animum cantare rogati, Injuſſi nunquam deſiſtant.*

Hæc nituntur *diſtinctione* vulgata *Certitudinis Moralis*, & *Evidentiæ*. Moralis *iterum gradum* variat, & circa *mores* hominum temporumque, circa *eventus* & *teſtimonia* plerumque occupatur eum in modum, ut *res aliter eſſe poſſit*. Illa, quæ evidentiæ ſeu Metaphyſica eſt, ex *natura* terminorum *ſe eſſentialiter*, vel *cauſaliter* reſpicientium reſultat.

***Par eſt autem hæc attendi, ne, quæ Univerſaliter pronunciantur, ejusdem generis eſſe nonnemo exiſtimet. Cæterùm magna vis eſt, & auctoritas Univerſalitatis Moralis in *Rhetoricâ*, magis quàm in *Scholâ Logicorum*.

II. *Uni-*

II. *Univerſaliter* aliqua & verè pronunciantur, quæ de *generibus ſingulorum*, non de *ſingulis generum* intelligenda ſunt; Sive ita, ut quædam tacitè *excipiantur* ſed *exigui momenti*.

V. G. Paulus dicit, ſe OMNIA OMNIBUS *factum eſſe*. 1. Cor. IX. 22.
Phariſæi decimabant OMNE *Olus*. Luc. XI. 42.

III Dantur Propoſitiones Univerſales, quæ *falſæ futuræ* ſunt, niſi prædicatum mente adplicetur etiam *Subjecto*, per id *reſtringendo*.

E. G. *Omnes homines ſunt juſti per meritum Jeſu Chriſti*, eſt propoſitio falſa: niſi ſic efferas: Omnes homines *juſti*, non ſunt juſti, *niſi* per meritum Jeſu Chriſti, quod verum.

Ita 1. Cor. XV. 22. Paulus ait: *Quemadmodum omnes moriuntur in Adamo, ita omnes vivificabuntur in Chriſto.* Sic explica: Quemadmodum omnes, qui moriuntur, *non moriuntur*, niſi in Adamo: ita qui vivificantur, *non vivificantur*, niſi per Chriſtum. Aliàs hoc aſſertum κατὰ πόδα ſumptum contradiceret aliis locis Scripturæ, & Analogiæ fidei.

IV. *Indefinitæ* Propoſitiones, pro ratione materiæ, vel ad univerſales, vel particulares referri debent.

v. g. *Homo eſt rationalis* : Adde OMNIS : quia materia eſt *neceſſaria*. *Homo eſt juſtus*. Adde QUIDAM, ob materiam *contingentem*.

**Propriam* igitur Speciem Propoſitionum non conſtituunt *Indefinitæ*. Auctor artis cogitandi exiſtimat, illas ad Univerſales referri debere.

V. Propoſitiones, quæ *Corpus Morale* innuunt, malè ad Univerſales referuntur.

v. g. Si dicas, *Romani vicerunt Carthaginenſes : Judices Londinenſes condemnarunt* ad mortem *Carolum Stuartum*. Quis affirmaret OMNES *Romanos* (in ſenſu ſive *conjuncto*, ſive *diviſo* ſumptos.) *Carthaginem viciſſe* ? Unde de *Perſona Morali* debet intelligi, de *Corpore Politico*, non de *ſingulis membris* ; quod conſtruit propoſitionem ſingularem.

SECUNDA CLASSIS

DE NATURA AFFIRMANTIUM ET NEGANTIUM PROPOSITIONUM, ET UTRARUMQUE CONVERSIONE.

I. Attributum (ſeu idea prædicati) competit in *Affirmativis* Subjecto, ſecundum hujus amplitudinem.

v. g.

v. g. Omnis homo eſt rationalis. τὸ *rationale* coextenditur omni homini; ut, *ubi homo ſit, ibi inveniatur rationalitas.* E contrario ſi dixeris, *Quidam* homo eſt Medicus: *Medici* titulus non ad omnes homines pervadit, ſed ad *quosdam*, digito fortè ſignandos.

II. Attributum, ſeu prædicatum, prædicatur de Subjecto *ſecundum omne* id, quod eſt.

v. g. *Homo eſt juſtus. Quicquid in* Juſtitia continetur, *tribuitur* homini ut ſubjecto.

*Verùm excipitur hic Caſus. Si prædicatum *majus ſit ſubjecto*: Sive idea prædicabilis amplior ideâ ſubjecti: Tunc enim reſtringitur & coarctatur in *anguſtiam ſubjecti*, nec niſi pro hujus modulo debet intelligi. Sic: *Homo eſt animal.* Animal eſt latius homine, neque affirmatur de hoc, quòd ſit *omne animal*, ſed *animal rationale.* Item, *Omnis ſcortator eſt damnatus.* Damnatio latiùs patet demerito ſcortationis. Hinc Scortator quidem damnatur. Sed *damnantur & alii*, homicidæ, blaſphemi *&c.*

III. Propoſitiones *affirmativæ* convertuntur, ſi prædicato addatur *Signum particulare.*

Ratio: poteſt enim prædicati *idea latior* eſſe ſubjecto: Unde reſtringi debet amplitudo, ut *ſubjecto commenſuretur.* V. g. *Omnis homo eſt animal.* Dic: *quoddam* animal eſt homo. Sin vero latior non ſit, ſimpliciter convertuntur, ut: *Omne animal rationale eſt homo:* & *viciſſim.*

IV. Particulares *ſine additò convertuntur.*

Ratio

Ratio eſt in promptu: quia *neutra idea alteram* excedit v. g.

Quidam *homo* eſt *juſtus*.
Quoddam *juſtum* eſt *homo*.

V. Negatio *non ſeparat* à ſubjecto omne id, quod eſt in Prædicato: ſed tantùm Ideam ex omnibus Entitatibus prædicati *compoſitam*, & *conjunctam*.

v. g. Materia non eſt *Subſtantia Cogitans*: Non negatur de Materia ſubſtantia, ſed *ſubſtantia cogitans*.

VI. Negatio tollit à ſubjecto Ideam prædicati *in omni ſua extenſione*.

**Formaliter* puta conſideratæ. Aliàs hic Canon VI. pugnaret cum V. Alii ſic efferunt: *negato genere, negantur omnes ejus ſpecies*.

v. gr. *Quadratum* non eſt *triangulum*. Ergò de quadrato negantur triangula *cujusvis generis*.

**Viciſſim *ſubjectum* ſeparatur *à prædicato* ſecundum ſuæ Ideæ *totam amplitudinem*.

VII. Negativæ *univerſales* convertuntur *ſimpliciter*: ſecus *particulares*.

Ratio eſt: Quia *in univerſalibus* coëxtenduntur Ideæ: In *particularibus* ſecus: v. g. Quidam homo non eſt Medicus. Hæc rectè. Sed converte: Quidam Medicus non eſt homo. Vox homo heic ſumitur *univerſaliter*. Aliàs ſi ſic intelligatur: *Quidam* Medicus non eſt *quidam homo*: Verè ſe omnia haberent: Verùm ita non ſentiunt, & loquuntur Gentes.

Nota.

NOTA.

Hæc in claſſe ſecunda propoſuimus, ut, queis volupe fuerit, innoteſcat cauſa & ratio *Converſionis*, quæ, licet uſum in Reductionibus non præſtet hodie, præſtat tamen in *formando judicio* circà cohæſionem, & diſſidium terminorum.

AT DE HIS SATIS.

CAPUT XIV.

DE CHARACTERIBUS VERI FALSIQUE GENERALIBUS: UNA CUM REGULIS EO PERTINENTIBUS.

In primo Libro nonnihil dictum fuit de *Ideis*: liceat jam aliquid monere de *Idearum compoſitione*, mutuoque earundem ſive *nexu*, ſive *diſcordiâ*, & quibus viis hæc examinentur & cognoſcantur.

Quid eſt Idearum nexus?

Eſt talis earundem *Convenientia*, ut una ad alteram pertineat, vel eidem inſit.

*Id quod propoſitionem vulgò vocant, Subjecto & Prædicato conſtantem, eamque *Affirmativam*.

Quid eſt Idearum Diſcordia;

Cùm neque *ad ſe invicem pertineant*, nec *una alteri* inſit.

*Quod Negativam vocant Propoſitionem.

NOTA.

Cùm dicitur: Unam Ideam ad *alteram pertinere*,

nere, vel ſecus, *diverſo reſpectu* id fieri poſſe, intelligendum eſt: *Vel* eſſentialiter, & extra-eſſentialiter: *Vel* ut cauſa & effectus: *Vel* ut Subjectum & accidens; Res & modus &c.

Alteri *ineſt* vel non ineſt aliquid, vel *ut* accidens Subſtantiæ, vel *ut* conceptus clarior obſcuriori, contentus in continente, ſtrictior in latiore &c.

Propriè loquendo IdeaPrædicati ſemper eſt Idea Subjecti *materialiter*, non autem *formaliter*. Sic cùm ajo: Petrus eſt doctus: Doctrinæ Idea adjungitur Petro, quem non contemplor ut hominem, ſed ut doctum. Adeoque intuendo quaſi Petrum, ut doctrina imbutum, præteritis reliquis dotibus, ſtatim id cogitatione exprimo, & affirmo, quod eſt Petrus, i. e. doctus.

UNDE verò cognoſcitur Ideas cohærere?

Cùm ideæ fuerint *claræ*, *primo* quaſi obtutu cognoſcitur, an cohæreant, in obſcuris res eſt difficultate pleniſſima.

*Quamprimum habeo v. g. *Ideam Solis*, & *ignis* perſpectam, quid ſint, oppidò ſapit intellectus, hæc *ad ſe invicem* pertinere: Quæſtio tantùm erit, an *Eſſentialiter*, an *ſecus*. Æquè proceditur ac in ſenſu viſus: Quamprimum oculis uſurpo *lapidem* & *arborem*, viſus dijudicat confeſtim, unum non eſſe alterum.

Quomodo in claris Ideis ſcio, quòd eſſentialiter ſe reſpiciant?

Id fit, ſi in ſcrutinio, & exploratione utriusque Ideæ reperio, *aliquid* in una eſſe, quod *niſi quoque in altera eſſet*, hæc *non eſſet*.

E. G.

E. G. Cogitando hominem, reperio τὸ *animal*. Animalis autem Idea probè explorata talis eſt, *ut ſine iſta*, neque *Hominis illa* conſiſteret.

At quid de Obſcuris?

Hic obſervandum: Quòd vel *ratione propria* exploretur nexus, aut *ob aliorum teſtimonium* credatur. HOC vocatur *Fides*, divina vel humana. ILLA cognoſcit Objectum *vel planè non*, vel *ex parte*. Si *planè non*, ſtultum eſt, aliquid de altero affirmare vel negare. Si *ex parte*, in quantum cognoſcitur clarè, affirmari, vel negari aliquid de eo poteſt.

E. G. Etſi, quid *Sol* ſit, ruſticus non nôrit: quia tamen ſenſu experitur effectum *neceſſarium* ignis, aſſurgit ad cauſam, cognoſcitque, aliquid *igneum* in Sole eſſe, etſi reliqua ignoret.

Quomodo cognoſcitur, Ideas ſe reſpicere Ut Cauſam & Effectum, *ut* Genus & Speciem, *ut* Subſtantiam & Accidens?

Sigillatim hæc exponi neque vacat, neque pro inſtituto neceſſarium eſt. Saltim notari debet univerſim.

I. *Cauſæ* & *Effectus* neceſſariam χέσιν perſpectam fieri, *ſphæram activitatis* in ſingulis rebus, & *dependentiam* rei productæ ſive ingenio, ſive ſenſu & experientia, explorando.

V. G. Cogitando rem, quæ *ex nihilo ortum* habet v. g. terram, cogito ſimul *cauſam infinitam*: quia finita res creare non poteſt. Ajo igitur: *Deus condidit terram*. Item Cogitando, *Lunam* à Sole lucem accipere, *corpus*

opacum lucem non transmittere, *interpoſitum* duobus corporibus *umbram* jacere. &c. affirmare poſſum veriſſimè, & ſecurè: *Luna obſcuratur per interpoſitam TERRAM.*

II. Generis *Certitudo* cognoſcitur ex Proportione duarum Idearum *inæquali*, licet Eſſentiam conſtituentium.

v. g. Cogitando hominem, cogito etiam *animal*, neceſſariò: Video autem *τὸ animal* etiam *aliis rebus* eſſentialiter competere: quæ res an exiſtant, uſu poteſt & ſenſu explorari, vel fideli aliorum teſtimonio. Sic *plures avium* Species eſſe, Hiſtoria earum docet. An *Angelorum* plures ſint ſpecies actu, cùm poſſibile ſit, ignoratur.

III. Idea *Subſtantiæ* non ægrè dijudicatur ab Idea *accidentis*. Cùm hæc fulcro indigeat, ſi exiſtere debeat; altera Secus.

UNDE cognoſcitur diſcordia Idearum?

Si vel ſingulæ *completas* Subſtantias repræſentent, vel tales Entitates *incompletas*, quarum una tamen cum altera conciliari nequeat.

v. g. *Homo* & *Leo*; ſingulæ Ideæ *perfectas res* repræſentant, unde abſurdum foret, ſi conjungerentur; dicendo, *homo eſt Leo*, vel *Leoninum quid*; ſic de *calore*, qui eſt Entitas quædam ignis, non patitur, ut illi per prædicationem conjungatur ſive *frigiditas*, ſive *glacies*, tanquam effectus.

Quo-

Quomodo autem dicitur, rem aliquam Completam eſſe, *ne de altera poſſit prædicari?*

Hoc ex eo cognoſcitur: *Si per ſe ſtant*, & *exiſtunt*, quod experientia docere ſolet, vel id in Ideâ clare habetur, ita ſine fulcro conſiſtere poſſe.

V. g. τὸ *Animal* non eſt aliquid, quod *ut tale* poſſit exiſtere, unde tanquam *Idea Incompleta* alteri debet adjungi, vel *homini*, vel *bruto* : & hæ iterum ſunt *incompletæ Ideæ*, quæ non abſolvuntur niſi in Individuis. Quòd verò τὸ animal non adplicem ad Ideam *ſtellæ*, inde eſt, quoniam hæ Ideæ nullum inter ſe *commercium* habent, & per *contradictoria*, *Vivere* non-*vivere*, *lucidum* & *opacum* eſſe, &c. diffident: quæ in *unum conceptum* compingi non valent.

Qui ſunt Characteres veri falſique?

Sunt ſigna, quibus, quid verum falſumque ſit, dignoſcitur.

*Sunt varii generis. I. Vel *probabilia* ſunt, vel *Evidentia*: Illa fallere poſſunt, hæc ſecus. II. *Vel* EXTERIUS ſignificant, vel INTERIUS ac è fundamento. *Exteriùs*: Si acquieſcit animus conſiderationi, demptis *ſcrupulis*, *remotisque* ſciendi communibus impedimentis. v. g. qualia ſunt nimia ſenſuum *credulitas*, *præjudicium*, *opinio*, *paſſiones*, &c. *Interiùs*: Si *claris* utrinque Ideis utimur.

CEDO Regulas aliquas?

I. *Priusquàm* aſſenſus vel diſſenſus propoſitioni adhibetur, facta *reſolutione* Subje-

ctum & Prædicatum, *Ideæ Principales*, ſolicitè ponderari debent, an, & quid nobis *obſcurum* ſit in illarum cognitione.

*Ratio: Nî enim hoc fiat, ruimus in aſſenſum cæco impetu.

II. Subjectum ſi confarcinatum ſit plurimis Ideis, *compoſitum*, aut ècontrario particulis exceptivis, conditionalibus &c. *imminutum*, imprimi debet intellectui, ne fiat confuſio.

v. g. Sit Prop. *Miles, qui conflixit in Hungaria feliciter, ſæpius in Italiâ victoriam reportat.* Hîc multæ Ideæ confluunt, *conflictus*, *Hungaria, felicitas armorum*: Item *Victoria, Italia*, & *Tò ſæpiùs.* Si permitteret linguæ fertilitas, qualis apud Arabes reperitur, fortaſſe totum id, *Miles, qui feliciter in* Hungaria *conflixit, UNA voce proderetur*: Hoc Ideam vocares ſimplicem, quia *uno verbo*, unoque *ictu* tibi totum negotium ſiſteret. Id ergò cogitando effice, ut *diſperſæ* Ideæ *in unam* confluant, & extantem, poſtquàm iviſti per partes, Sic: *Miles conflixit*; *Miles conflixit in Hungaria; conflixit feliciter.* Videbis, quàm *reſtricta & conciſa* futura Idea ſit, quæ in verbis videbatur ampliſſima.

III. Si Subjectum vel Prædicatum, vel utrumque virtualiter, ſive manifeſtè complectitur plures propoſitiones, in eas reſolvantur.

*Fluit

*Fluit hoc ex *Canone ſecundo.* v. g. *Sum pius Æneas, famâ ſuper æthera notus.* Poſito caſu, quòd Æneas neque *pius*, neque *ſuper æthera notus* eſſet, temerè tamen negaretur, perſonam loquentem Æneam fuiſſe.

**Vocantur, ſi propoſitiones manifeſtè plures extant *Incidentes*, cohærentque in unum variis modis, quos ſenſus,& ratio docent.

Poteſt autem contingere, ut una ex incidentibus vera, altera falſa ſit, v. g. Sententia, quæ Summum Bonum in corporis voluptate ponit,& ab Epicuro propoſita eſt,indigna cenſeri debet Philoſopho. Ecce! duas propoſitiones, prior virtualis eſt, altera incidens h. m. Eſt Sententia, quæ ſtatuit S. B. in voluptate corporis; Eam docuit Epicurus. Prior vera,poſterior falſa eſt.

IV. Poteſt fieri, ut propoſitio incidens ſit cauſa affirmationis & negationis veri falſique.

*Ratio, quia vim habet modificandi Subjecti, illius Univerſalitatem reſtringendo. v. g. Omnes homines, *qui pietatem colunt*, opera charitatis exercent. Si demas propoſitionem incidentem, falſa erit propoſitio: Omnes homines opera charitatis exercent: Veriſſima, ſiaddas.

V. Si Propoſitio manifeſtum implicat *inconveniens*, aut *abſurdum*, explorari debet è circumſtantiis, annonille, qui eam pronunciavit aliquid in ſubjecto, vel Prædicato *ſubintellexerit.* Hoc modo Propoſitiones *ſimplices*, fiunt *completæ* per *ſubintell ectionem.*

v. g. Si quis dicat: *Literæ Italicæ mentiuntur.* Quis adeò emotæ mentis eſt, ut omnes mentiri ſtatuat: ſed *pragmaticas* intelligit, & quidem illas, quæ *profligationem Gallorum* annunciarunt.

VI. Nunquam *præcipiti*, ſed deliberato animo procedendum eſt ad examen alicujus momentoſæ Propoſitionis.

Oſcitantiam aut *vulgi Error*, aut *conſuetudo*, aut *paſſionis* impetus, aut rei *credibilitas* in rebus *minoris momenti* excuſat. v. g. Si orto gravi incendio nuncietur, *aliquot homines* ſomno ſepultos interiiſſe: *facilè* creditur mendacio.

VII. Affirmatio, vel Negatio nunquam *ad plura* debet extendi, quàm permittat claritas cognitionis, aut *rei*, aut *conſuetudinis*.

*Scilicet, ſi de aſſenſu, vel diſſenſu ratio rigoroſa dari debeat, nec ex alieno judicio deprompta. *In Moralibus*, nempe cùm Juris poſſit eſſe certa ſcientia, & conformis voluntati Legislatoris. *In factis* tamen ut plurimùm teſtimonio nititur judex, & merâ *certitudine Morali*. Ita etiam *Medici* ſignis morbi *non ſemper evidentibus* ſuperſtruunt curationem certam, & efficacem.

****Claritas REI** datur, quæ nullo dubio apud Conſcientiam obnoxia eſt: Splendere Solem in meridie, arbores habere ramos &c. corpus noſtrum animâ moveri.

CONSECUTIONIS vocatur, ubi res in ſe non evidenter cognoſcitur, eſſe tamen debere, ex *aliis adjacentibus* judicatur: Ut *calculus infinite-*

nitorum; *Demonſtrationes Mathematicæ*, cogentes, ſed non evidentes, niſi ob Artem.

VIII. Curari debet, ne *præjudicio* quodam mens obnubiletur, *clarè* nos rem perſpicere, quam vix per tranſennam hactenus videmus.

Præjudicia oriuntur 1. Ex *Hypotheſi* aſſenſus & diſſenſus olim adhibiti, *ſed temerè, nec exploratè*. 2. Ex nimia veneratione & ſtudio *auctoritatis*. 3. Ex *facto* lubricè nimis perſuaſo, cui magna veritas debeat ſuperſtrui. Sic in Phyſicis fallacia nonnunquam *Experimenta* fiunt, aliis experimentis refutanda. 4. Ex *ſenſuum* ludibrio, &c.

IX. *Falſi* ſuſpicio procreatur, ſi 1. *Sapientium plurimi* à nobis diſſentiant. 2. Si animus *dubitationibus*, & *ſcrupulis* vexetur. 3. plus *obſcuri*, quàm *lucidi* ſit in ideis. 4. Mens à *ſenſuum* inquinamentis, & *præjudiciis* non ſatis purgata ſit. 5. Si diſſentientibus paucis, iisque laude ſapientiæ prævalentibus, *maxima pars* hominum aliquid affirmet. 6. Si rationem reddere non poſſumns, ſive à *Judicio* ſive ab *experientiâ* depromptam. 7. Si *credibile à certo* rectè non diſcriminatur, &, quòd officio inquirendi veri *diligentiſſimè* functi non ſimus, propria conſcientia nobis ſuccenſet.

X. Falſi tamen indicium non eſt, quòd *nexum*, vel *diſcordiam* terminorum *capere* nequeamus.

*Sæpe abſurda videntur, *quæ non ſunt*, idque *vel* ob ingenii, judiciive hebetudinem; *vel* terminorum aliam atque diverſam acceptionem; *vel* ob lucem rationis, cœco quodam præjudicio, & errore præſtructam; *vel* ob principii cognoſcendi defectum: v. g. Revelationis in propoſitione: *Virgo parit* &c. Contingere etiam poteſt, ut ideæ iisdem *terminis* ſubſtantes à *diverſis diverſimodè* fabricentur, hoc cum effectu: ut *Petri* conceptus, & Ideæ ſibi *invicem conciliari* nequeant: poſſint autem *Hieronymi*. Quo obſervato multæ diſputationum inutilium lites intermorerentur.

FINIS LIBRI SECUNDI.

LIBER

LIBER TERTIUS.

DE SYLLOGISMO.

CAPUT I.

DE ARGUMENTATIONE IN GENERE.

Quid eſt Argumentatio;

Argumentatio eſt Oratio, in qua aliquid ex aliquo conſequitur.

Ex Orationibus *Enunciativis* fit Oratio *argumentativa*, ſive Argumentatio : *Argumentatio* a dicitur ab arguere, quia Unum arguit alterum per medium , quod *argumentum* dicitur. *Ejus* partes ſunt *Antecedens*, & *Conſequens.*

Id quod infert aliquid, dicitur *Antecedens: Id quod inſ ertur* ex aliquo, dicitur *Conſequens. Id per quod* infertur aliquid, dicitur *Medium*; quod continetur in *Antecedente*, non in *Conſequente. Forma* eſt ipſa *Conſequentia*, ſive Illatio Conſequentis ex Antecedente, quæ exprimitur particula *Ergò*, & quæ ſimilem vim habent. Ut,

Antec. Homo eſt *rationalis.* Medium E.
Conſeq. Homo eſt Diſciplinæ capax.

Quotuplex eſt Argumentatio?

Alia eſt Perfecta , *quæ* Syllogiſmus *dicitur; alia* Imperfecta, *Ut*, Inductio, Exemplum

plum, Enthymema, Sorites & Dilemma. *De Imperfectis infrà Cap. 6:*

Quid eſt Syllogiſmus?

Syllogiſmus eſt Argumentatio, in qua ex duabus Præmiſſis legitimè poſitis neceſſariò infertur Concluſio. Ut,

O. animal ſentit.
O. homo eſt animal. E.
O. homo ſentit.

1. *Syllogiſmus* gr. συλλογισμὸς, vox eſt Mathematica, ſignificans *Computationem*, eine Rechnung. συλλογίζεσθαι, ſummiren/ Rechnen. Convenientiſſimè ad Logicam tratraducitur. (ταῦτα συλλογισάμενος ἐν ἐμαυτῷ. Sap. 8, 16.) Sicut enim *ex duobus*, vel pluribus *numeris notioribus* colligitur tertius minùs notus, & qui in iſtis virtute latebat, ex. gr.

2.
2.
—
4.

Ita ex duabus enunciationibus *notioribus* infertur Concluſio *minùs nota*, & quæ erat in quæſtione. Ut,

Homo eſt animal.
Petrus eſt homo. E.
Petrus eſt animal.

2. *Duæ Præmiſſæ* dicuntur duæ Enunciationes quæ Concluſioni præmittuntur, & ex quibus Concluſio infertur, nimirum Propoſitio *Major* & *Minor*.

3. *Legitime poſitæ* dicuntur præmiſſæ, quæ ſecundùm *figuras*, & *modos* diſpoſitæ ſunt ad Veritatem conſequentiæ.

4. *Neceſſario* infertur Concluſio ex præmiſſis, non ſemper *neceſſitate Conſequentis* ſive *Materiæ*, ſed *neceſſitate Conſequentiæ* ſive *Formæ*, vel vi & virtute illius Diſpoſi-

ſpoſitionis, quâ Conſequens non poteſt non ſequi ex Antecedente Sic verè concludo non quidem ratione Materiæ, at vi formæ.

Omne a *eſt* b.
Omne c *eſt* a. *Ergò.*
Omne c *eſt* b.

Hîc repeti debet *Obſervatio generalis* ſup. lib. II. cap. X. ſtatim ab initio, ubi, quid de *modis Logicis* ſentiendum ſit, pauciſſimis verbis indigitatum eſt. Nemo igitur in malam rapiet partem, ſi *pondera* memoriæ nimis moleſta, nihilque profutura, vel *reſecamus*, vel ad *pauciora verba* redigimus, magno futuro Tyronibus levamento.

CANONES

I. Vero Antecedente verum debet eſſe Conſequens.

Ex vero enim non niſi Verum colligitur. At

II. Falſo Antecedente non ſtatim falſum eſt conſequens.

Ex Falſo enim verum ſequi poteſt, *vi puta formæ*, Ut,
Omnis Aſinus habet pennas.
Omnis Alauda eſt Aſinus. *E.*
Omnis Alauda habet pennas. Unde

III. Vero Conſequente non ſtatim verum eſt Antecedens. At

IV. Falſo Conſequente falſum etiam eſt Antecedens.

Falſum enim non niſi ex falſo colligitur.

V. Contradictorium Conſequentis debet repugnare Antecedenti.

Aliàs Conſequentia erit vitioſa, id eſt, nulla, ex. gr. *Homo eſt animal*, E. *Homo eſt Aſinus*, Contradictorium Con-

Conſequentis eſt: *Homo non eſt Aſinus.* Hoc Contradictorium Conſequentis non repugnat Antecedenti. Poſſunt enim ſimul ſtare: *Homo eſt animal.* Et: *Homo non eſt Aſinus.* Sic: *Adoleſcens pallet.* E. *Studet.* Malè. Quia *non ſtudere*, quod eſt ContradictoriumConſequentis, ſtare poteſt cum Antecedente *pallere.*

CAPUT II.
DE
MATERIA ET FORMA SYLLOGISTICA.

Quid in quovis Syllogiſmo maximè attendendum?

Hæc DUO: FORMA & MATERIA.

Quid eſt Forma Syllogiſmi?

FORMA Syllogiſmi dicitur *Artificioſa Partium Syllogiſmi Diſpoſitio.*

Quid eſt Materia?

MATERIA eſt ſpecialis partium diſpoſitarum χέσις, habitudo, nexus, affinitas, & proportio.

Hinc Syllogiſmus *Abſtractus*, & *Formalis* dicitur, in quo tantùm artificium Logicum conſideratur, nulla verò certæ materiæ ratio habetur; *Concretus* autem, & *Materialis* Syllogiſmus dicitur, in quo ſpecialis Terminorum, & Propoſitionum natura conſideratur.

Quæritur itaque de FORMALI (de MATERIALI agetur infra Cap. 8.)

Quo-

Quomodo dividitur Syllogiſmus Formalis?

In Simplicem & Compoſitum.

Simplex eſt, qui Propoſitionibus ſimplicibus. *Compoſitus*, qui unâ vel duabus Compoſitis conſtat. *De hoc infrà cap.* 5.

Principia Syllogiſmi Formalis ſimplicis *interna* ſunt *Materia*, ſive Partes Syllogiſmi integrantes; & *Forma*, ſive Diſpoſitio Partium Syllogiſmi.

Cujus principium directivum eſt Dictum de Omni & Nullo: Et Canon ille tritus:

Quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt etiam eadem inter ſe. v. g.

Si A. eſt B. & B. eſt C. etiam C. erit A. & viciſſim.

Quæ ſunt Partes Syllogiſmi Simplicis?

Tres Termini: Major, Minor & Medius: & *Tres Propoſitiones:* Major, Minor, & Concluſio.

Obſerv. 1. *Termini* ſunt materia, ſive partes Syllogiſmi *remotæ*. *Propoſitiones* autem ſunt materia, vel partes *propinquæ*. Syllogiſmus enim proximè reſolvitur in Propoſitiones, Propoſitiones verò in terminos, ex quibus conſtant. Quæque abſolutè, & extra reſpectum ad Syllogiſmum *Enunciationes* vocantur, illæ reſpectu Syllogiſmi vocantur *Propoſitiones*.

II. *Ex tribus Terminis fiunt tres Propoſitiones*: quia quilibet terminus *bis* ponitur. Nimirum, *Major* & *Minor* ſemel ponuntur in Præmiſſis, & ſemel in Concluſione; *Medius* verò *Terminus* bis ponitur in Præmiſſis, ſemel ſc. in Majore, & ſemel

mel in Minore Propoſitione; nunquam verò in Concluſione.

III. Terminus *Major* & *Minor* vocantur etiam uno nomine *Extrema*; item *Extremum Majus*, & *Extremum Minus*.

IV. *Major Terminus eſt Prædicatum Concluſionis*, & facit cum Medio Termino *Majorem Propoſitionem*. *Minor Terminus eſt Subjectum Concluſionis*, & facit cum Medio *Minorem Propoſitionem*. *Medius Terminus eſt*, qui *ſemel* cum Prædicato Concluſionis connectitur in Majore; *Semel* cum Subjecto Concluſionis in Minore. *Eſtque Cauſa, PROPTER QUAM* Prædicatum de Subjecto in Concluſione affirmatur, vel negatur.

V. *Major* ergò *Propoſitio* dicitur, quando Prædicatum Concluſionis cum Medio Termino connectitur: Dicitur etiam ſimpliciter *Propoſitio*. *Minor*, quando Subjectum Concluſionis cum Medio Termino connectitur: dicitur etiam *Aſſumptum*. *Concluſio*, cùm Prædicatum, quod erat in Quæſtione, de Subjecto affirmatur, vel negatur.

Quæ eſt Forma Partium Syllogiſmi?

Figuræ & Figurarum Modi.

Quid eſt Figura Syllogiſtica?

Figura eſt Diſpoſitio Medii cum Extremis.

Quid eſt Modus Syllogiſticus?

Modus eſt Diſpoſitio Propoſitionum ſecundùm Quantitatem, & Qualitatem.

Quot

Quot ſunt Figuræ?

Tres: Prima, Secunda, & Tertia *Figura*.

Prima, *Secunda*, & *Tertia* Figura dicitur, non tantùm *ratione Ordinis*, ſed etiam *ratione Dignitatis*: quia in *Prima* omnia genera Probationum locum habent, & dantur in ea Concluſiones *Univerſales*, & *Particulares*, tàm *Affirmativæ*, quàm *Negativæ*. Unde etiam optima eſt. In *Secunda* dantur etiam *Univerſales*, & *Particulares*, ſed *Negativæ tantùm*. In *Tertia* dantur quidem *Affirmativæ*, ſed nullæ *Univerſales*. *Quarta* figura eſt *prima* inverſa: quæ uſum habet, ſed Tyronibus jam non explicandum.

Quæ eſt Prima Figura?

In qua Medius Terminus Majori ſubjicitur, & de Minore Termino prædicatur.

Medius —— Major



Minor —— *Medius*

Minor —— Major,

Quæ eſt Secunda Figura?

In qua Medius Terminus bis prædicatur.

Secunda Figura.

Major —— *Medius*




Minor —— *Medius*

Minor —— Major.

Quæ eſt Tertia Figura?

In qua Medius Terminus bis ſubijcitur.

Tertia Figura.



Quot ſunt Modi Primæ Figuræ?

Quatuor:

bArbArA. cElArEnt. (*Primæ*) dArII fErIOque.

Quot ſunt Modi Secundæ Figuræ?

Etiam *Quatuor*:

cEsArE. cAmEſtrEs. fEſtInO. bArOco. (*Secundæ.*)

Quot ſunt Modi Tertiæ Figuræ?

Sex:

Tertia dArAptI *ſibi vindicat atque* fElAptOn.


Adjungens dIsAmIs. datIsI. bOcArdO. fErIsOn.

In


In his modis obſervetur, quòd quilibet habeat *tres vocales*, quarum Prima Majoris, Secunda Minoris, Tertia Concluſionis Qualitatem, & Quantitatem ſignificat. ex. gr. tria A. in bArbArA indicant tres Propoſitiones Univerſales Affirmativas.

Porrò tres iſti Termini, & tres Propoſitiones ſingularum Figurarum adhuc dilucidiùs proponi poſſunt in Figura Trianguli, h. m.

In Primâ Figurâ.




In Secundâ Figurâ:



In

In Tertiâ Figurâ.



Oſtendi ergò Tironi in hoc triangulo poſſunt *1. Tres Termini.* 2. *Tres Propoſitiones.* 3. *Ordo, & locatio Terminorum.*

In PRIMA Figura Propoſitio Major fit, procedendo à *Medio ad Majorem* ; Minor Propoſitio, *à Minore ad Medium.*

In SECUNDA Figura procede, à *Majore ad Medium,* & habebis *Majorem* Propoſitionem. Deinde à *Minore* ad *Medium,* & habebis *Minorem* Propoſitionem.

In TERTIA Figura procede à *Medio* ad *Majorem,* & erit Major Propoſitio ; Deinde pariter à *Medio* ad *Minorem,* & tunc erit Minor Propoſitio.

Da Exempla Primæ Figuræ?

BAr	*Omnis Virtus eſt expetenda.*
bA	*Omnis Juſtitia eſt virtus.* E.
rA	*Omnis Juſtitia eſt expetenda.*

CE	*Nulla Subſtantia eſt accidens.*
lA	*Omnis homo eſt Subſtantia.* E.
rEnt	*Nullus homo eſt accidens.*
DA	*Omne turpe eſt fugiendum.*
rI	*Quædam voluptas eſt turpis.* E.
I	*Quædam voluptas eſt fugienda.*
FE	*Nullum vitium eſt ſectandum.*
rI	*Quædam voluptas eſt vitium.* E.
O.	*Quædam voluptas non eſt Sectanda.*

*Hæc figura PRIMA *lucidiſſima* eſt, & quæ proximè ad *naturam* hominis accedit, quæ amat *medii termini* ſitum, nexumque in oculos mentis incurrentem. Reliquæ figuræ ſunt *abſtruſiores*, & *nexum probationis* nonnihil occultant. Qua *occultatione* cùm immemor Regularum facilè decipiatur, par eſt, ut hæ *latebræ deceptionum*, quantum pote, fugiantur.

Da Exempla Secundæ Figuræ.

CEs	*Nulla Pertinacia eſt virtus.*
A	*Omnis Conſtantia eſt virtus.* E.
rE	*Nulla Conſtantia eſt Pertinacia.*
CAm	*Omnis Linea eſt diviſibilis.*
Es	*Nullum punctum eſt diviſibile.* E.
trEs	*Nullum punctum eſt linea.*
FEs	*Nullum Corpus eſt immateriale.*
tI	*Quædam Subſtantia eſt immaterialis.* E.
nO	*Quædam Subſtantia non eſt Corpus.*
BA	*Omnis credens ſalvatur.*
rOc	*Quidam homo non ſalvatur.* E.
O	*Quidam homo non eſt credens.*

Da Exempla Tertiæ Figuræ.

DA	*Omnis Chriſtianus fidit Deo.*
rAp	*Omnis Chriſtianus eſt homo.* E.
tI	*Quidam homo fidit Deo.*

FE-

FE	*Nulla vocatio honeſta eſt repudianda.*
lAp	*Omnis vocatio honeſta eſt moleſta.* E.
tOn	*Quoddam moleſtum non eſt repudiandum.*
DIs	*Quidam homo eſt doctus.*
Am	*Omnis homo eſt rationalis.* E.
Is	*Quoddam rationale eſt doctum.*
DAt	*Omnis Ordinatio Dei eſt bona.*
Is	*Quædam Ordinatio Dei depravatur.* E.
I.	*Quoddam depravatum eſt bonum.*
BOc	*Quoddam album non eſt dulce.*
Ar	*Omne album eſt coloratum.* E.
dO	*Quoddam coloratum non eſt dulce.*
FE	*Nulli hypocritæ eſt fidendum.*
rIs	*Quidam hypocrita blandè ſalutat.* E.
On	*Cuidam blandè ſalutanti non eſt fidendum.*

CAPUT III.
DE
PRINCIPIIS SYLLOGISMI DIRECTIVIS.

Quodnam eſt Fundamentum Syllogiſticum?
Dictum de Omni & Nullo.

1. Quid vocas Dictum de Omni?

Quando Prædicatum ita affirmatur de Subjecto, ut ſub hoc nihil poſſit ſubſumi, de quo non itidem Prædicatum affirmari ſit neceſſe.

Omne *Animal movetur.*
Omnis *homo eſt Animal.* Ergò
Omnis *Homo movetur.*

Quid vocas Dictum de nullo?

Quando Prædicatum ita negatur de Subjecto, ut nihil ſub hoc poſſit ſubſumi, de quo non itidem Prædicatum negari ſit neceſſe. Ut,

Nullum *Animal eſt Lapis.*
Omnis *Homo eſt Animal.*
Nullus *Homo eſt Lapis.*

OBSERV. Dictum de OMNI, & de NULLO eſt *fundamentum* omnis affirmationis, & negationis, ſaltim in *prima Figura*, & *naturali modo* ratiocinandi: ut vel *conjungantur* Ideæ affirmando, vel *ſegregentur* negando. Hoc videmus in ſuperioribus duobus Exemplis, & infinitis aliis.

v. g. *Quæſtio* eſt, & fortè nonnemini *probandum.*

Quòd OMNIS homo MOVEATUR.

Habeo HOMINEM, habeo MOTUM. Idea MOTUS debet prædicari de *homine*. Quo pacto? Inveniendus terminus aliquis *tertius*, & Idea, quæ *manifeſtè*, & irrefragabiliter connectatur cum Ideâ *Motus*; ſic tamen, ut illa *Idea tertia* commercium quoque habeat intimum ex alio capite cum *Ideâ Hominis.*

Hinc naſcuntur duæ propoſitiones:

ANIMAL, (quod eſt tertia Idea clarior) MOVETUR.

Tento: an OMNE animal? Utique. Inde cognoſco, quòd *quicquid eſt animal*, MOVEATUR.

Poſtmodùm obſervo, an etiam *Homo ſit animal*, & quidem *neceſſariò*, ut poſſim addere OMNIS: Reperio id rectè ſe habere, & naſcitur Propoſitio.

Omnis homo eſt animal.

Quid jam facilius, quàm mediante τῷ ANIMAL, *Hominis* Ideam, & *motûs* in *UNUM* conciliare. Ergò HOMO MOVETUR, *quia eſt animal.*

Ratio

Ratio.

Quæ enim (HOMO, & MOTUS) *eadem ſunt* UNI TERTIO (τῷ ANIMAL, quia *Animal* movetur, & homo eſt *animal*) ſunt *etiam eadem inter ſe.* Hoc eſt, Homo *MOVETUR.*

Pariter ſeſe habet, Vi oppoſiti, adplicatio Regulæ de NULLO, Ex. gr.

Probandum eſſet, quòd Homo non ſit LAPIS. Quæro *conceptum Eſſentialem completum*, ſub quo *Homo* continetur, & qui de *homine neceſſariò* prædicatur: Qui conceptus tamen *manifeſtam* habeat repugnantiam, ne in unum compingatur cum conceptu, ſeu Ideâ LAPIDIS: Talis Idea eſt ANIMAL. Bardus, & barbarus novit, *Animal* & *Lapidem* toto cœlo differre. Inde fluit naturalis conſecutio: *Si Lapidis* Idea pugnat cum *Idea Animalis*, & *Hominis* Idea eſt Ideæ *Animalis Convenientiſſima*: Sequitur, quòd id, quod cum *animali* pugnat, pugnet etiam cum *homine.*

Ex his dictis de O. & N. fluunt Regulæ quædam generales, quibus Forma Syllogiſtica tùm omnium, tùm Singularum Figurarum innititur.

Quænam ſunt Regulæ Syllogiſmorum omnibus Figuris communes?

I. In Syllogiſmo (*ſimpliciter Uno*) nec plures nec pauciores debent eſſe Termini quàm *tres.*

*Ratio eſt, quoniam nonniſi duo extrema conveniunt *Uni Tertio* probanti. Eſto Syllogiſmus.

O. *homo doctus* eſt ſciens.
O. Ruſticus eſt *homo* — Ergò
O. Ruſticus eſt ſciens.

Quæſtio probanda eſt hæc: *Ruſticus eſt ſciens.* Enimverò Medium, ſeu Idea interveniens, eſt HOMO DOCTUS, cui convenit cum Idea SCIENTIS. Tenta jam: *An ruſticus* cohæreat cum homine docto. Nihil ſani reperies. Quando excipitur, At convenit *ruſtico* cum HOMINE.

℞. Hoc nihil ad rem! Nam *Tò Homo* non cohæret *neceſſariò* (per Dictum DE OMNI) cum *ſciente*. Sic nihil probaretur.

II. A *Non-Diſtributo*, ad *Diſtributum*, non valet conſequentia.

Hoc vult Canon: quod de *Ideâ Confuſâ* licet aſſerere, nondum in ſpecies *diviſâ*, illud de *ſingulis* ſpeciebus affirmare non licet. Et fierint *hoc ipſo quatuor* termini.

v. g *Tò Animal* non diſtributum, genus eſt, complectens in abſtracto duas ſpecies, HOMINEM & brutum. Dic:

O. Animal eſt, vel *brutum*, vel *homo*.
O. Homo eſt *animal*. E.
O. Homo eſt, vel *brutum*, vel *homo*.

Quæ *ſtolida* ſunt ex Canone.

*Obſerva igitur, quòd *Prædicatum* Propoſitionis *affirmativæ Univerſalis* ſemper eſt particulare. Neque enim poſſum dicere:

O. homo eſt omne *animal*. Sed:
O. homo eſt *animal*: nimirum *aliquod*, rationale ſcilicet.

III. Medius Terminus non ingrediatur Concluſionem.

Ratio eſt, quia ſic idem probaret ſeipſum, & cauſa ingrederetur ſuum effectum.

Lex Generalis erit: *Medium concludere neſcit*.

Vel clariùs; Quia id, quod concluſionem producere debet, non poteſt eſſe *pars* concluſionis: aliàs *aliquid ſeipſum* produceret. V. G.

Proba: Melampum eſſe Canem. Concluſio hæc eſto: MELAMPUS eſt canis.

Medius

Medius terminus erit, *quia latrat.* Hæc ratio; ut cauſa concluſionis,non poteſt per naturam rei eſſe Concluſio, vel aliquid Ejus. H. m.

O. Animal latrans eſt canis.
Melampus eſt animal latrans. E.
Melampus eſt canis.

IV. Ex puris Particularibus nihil ſequitur.

*Intellige Vi *Formæ perpetuæ*, nunquam fallentis:Nam non ſemel rectè concludit. V. G.

Q. Homo eſt doctus.
Q. Animal eſt homo. E.
Q. Animal eſt doctum.

V. Ex puris Negativis nihil ſequitur.

Iterum VI FORMÆ. Ratio eſt : quia *Propoſitiones Negativæ ſeparant Subjectum,& Prædicatum à medio.* Cùm ergò neutrum extremum conveniat *medio*, etiam Medium *non poteſt* eſſe Cauſa , cur Unum de altero *affirmetur*,vel *negetur*. Medium ergò *alteri ad minimum extremo* debet convenire.

Partibus ex puris ſequitur nihil, atque Negatis.

Nonnunquam concludit. V. G. Quicquid *non ſemper* reperitur in cerebro, illud *non poteſt* eſſe ordinaria ſedes animæ. Atqui *glandula pinealis* non reperitur. &c. E.

Qui non credit, non ſalvatur.
Phariſæi *non* credunt. E.
Phariſæi *non* ſalvantur. Vel

Qui *non audit* Verbum DEI, *non eſt* ex DEO. Joh. VIII. Judæi *non audiunt.* &c. E.

Niſi dixeris *aut* Propoſitiones VIRTUALITER affirmativas eſſe. h. m.

O. Incredulus *damnatur.*
Phariſæi ſunt increduli. E.

Aut fallere vulgarem Regulam dicti de NULLO,(ſaltim in FORMA) quaſi medius terminus *neceſſariò deberet affirmativè alterutri extremorum cohærere.* Etenim non ſolum hoc concludit.

N. Spi-

N. Spiritus eſt lapis.
O. Angelus eſt Spiritus. E.
N. Angelus eſt lapis.

Sed etiam hoc:

Nullus Lapis eſt rana.
Nulla arbor eſt lapis. E.
Nulla arbor eſt rana.

Ratio eſt: Quoniam quælibet *Eſſentia de altera poteſt negari.* A. non eſt B. B. non eſt C. Ergò C. non eſt A. & viciſſim.

Interim VIS ILLATIVA eſt utique ridicula, ſi probetur per QUIA. v. g.

Nulla arbor eſt rana. Cur? *quia non eſt lapis.*

Inania ſunt, & fumi venales, quæ afferri ſolent; licet *Tò* Non, cadat ſupra Copulam, *affirmativam* tamen eſſe poſſe Propoſitionem. v. g.

Phariſæi non credunt. h. e. *Phariſæi ſunt illi*, qui non credunt.

Hoc enim modo *Omnes Negativæ* poſſent corrumpi, & in affirmativas, & ludibrium verti. e. g.

Quoddam animal *eſt Id*, quod non eſt bipes.

VI. Univerſalibus æquipollent Singulares.

Singulares enim, quia ſumuntur ſecundùm totam ſuam extenſionem, Univerſaleſcunt. Ut, *Filius Mariæ eſt Filius DEI, Chriſtus eſt Filius Mariæ, E. Chriſtus eſt Filius DEI.*

VII. Tantum ſit in Concluſione, quantum fuit in Præmiſſis.

1. Ratione *terminorum:* ne ternionem excedant. 2. Ratione *Quantitatis:* ne ex *particulari* inferatur *Univerſalis.*

Aliàs enim quaternio terminorum pullulabit. En verſum!

Quod non præceſſit, Concluſio nulla requirit.

IIX. Con-

IIX. Concluſio ſequitur partem debiliorem.

Id eſt, quando *altera* Præmiſſarum eſt *Particularis*, vel *Negativa*, tùm etiam Concluſio debet eſſe *Particularis*, vel *Negativa*.

Ratio eſt in *Negativa*. Quòd *altera* Pars Concluſionis in alterutra Præmiſſarum à medio fuit remota, ideò *Medium* non poteſt *utramque* Concluſionis partem, vel extremum unire. In *Particulari* itidem clarum eſt: quia fieret proceſſus à *non diſtributo ad diſtributum*. Conf. Canon. II.

Particulare, Negans, ſequitur Concluſio ſemper.

Non autem ſequitur, præmiſſâ particulari, Concluſio eſt particularis; ergò etiam Præmiſſis exiſtentibus *Univerſalibus*, etiam Concluſio ſtatim erit Univerſalis; quia *Prædicatum* propoſitionis univerſalis in præmiſſis poteſt fieri *Subjectum* concluſionis: uti in III. Figura. E. *particulariter* debet enunciari ſecundum Obſerv. can. II.

4. *Quænam ſunt Regulæ Singularum Figurarum?*

I. *In prima Figura, Major* Univerſalis, & *Minor* Affirmans eſto.

II. *In Secunda Figura Major* debet eſſe Univerſalis, & *altera* Præmiſſarum cum Concluſione Negans.

III. *In tertia Figura* ſit *Minor* Affirmans; *Concluſio* Particularis.

1. Ergò Primæ Figuræ ſunt *duæ* Regulæ.

1. *Major debet eſſe Univerſalis.*

Ratio eſt, quòd ejus fundamentum ſit dictum de OMNI & de NULLO. Unde prædicatum Concluſionis,

nis, *ſive* negetur, *ſive* affirmetur de Subjecto, debet *conjungi cum medio termino* Univerſaliter.

E. G. Nulla res cogitans eſt materia.
O. Spiritus eſt res cogitans.
E. N. Spiritus eſt materia.

2. *Minor debet eſſe Affirmans.*

Ratio eſt: Quoniam aut *ambæ* partes, ſeu extrema debent convenire *uni tertio*, aut *alterutra*. Eſto igitur, *Majorem* Negativam eſſe, M*inor* Affirmativa neceſſariò erit. At Majore *Affirmativâ*, Minorem Negativam eſſe non licet: quoniam *Subjectum* Concluſionis in *Minore* propoſitione non poteſt *cohærere Medio* termino NEGATIVE, cùm ejus prædicatum in Majore jam cohæſerit affirmativè. Abſurdum enim foret argumentari,

A. eſt B.
C. non eſt A. Ergó
C. eſt B.

Natura potiùs ita docet συλλογίζεσθαι

A. eſt B.
C. eſt A. E.
C. eſt B.

*Fundamentum à *Diſtributione terminorum* deſumptum Tyrones non capiunt: Eapropter omiſimus.

Obſerv. verò, probè diſcernendum eſſe (α) Inter Propoſitionem *Formaliter Negativam*, & *Affirmativam* de *Subjecto infinito, vel negativo*. ex. gr.

Quicunque *eſt non juſtus*, ille *eſt* vituperandus.

Quicunque *non eſt juſtus*, ille *eſt* vituperandus.

Utraque eſt *affirmativa*. Prior de *Subjecto infinito*. Altera de *Subjecto negativo*.

(β) Inter Propoſitionem *affirmativam*, & *virtualiter negativam*. ex. gr.

Omnes

Omnes divites ſunt mortales.
Pauci homines ſunt divites. E.
Pauci homines ſunt mortales.

Minor videtur eſſe *affirmativa*, cùm ſit *virtualiter negativa*; *Pauci* enim ſignificat *Non Omnes.*

II. *Secundæ* Figuræ ſunt *tres* Regulæ:
1. *Major debet eſſe Univerſalis.*
2. *Altera præmiſſarum debet eſſe Negans.*
3. *Concluſio Negans.*

III. In *Tertia* Figura *duæ* ſunt Regulæ:
1. *Sit Minor Affirmans.*
2. *Concluſio Particularis.*

CANONES.

I. Quæ ſunt eadem Uni tertio (*ſingulari & incommunicabili*) illa ſunt eadem inter ſe, *reſpectu illius tertii.*

Hic Canon à nonnullis habetur pro principio Syllogiſmorum *abſolutè primo*; nec ſine ratione, cui & nos aſſurgimus. Videſis uſum Canonis in ſuperioribus.

II. Ad *Euporian* non niſi ingenio, & exercitio pervenitur.

*Fruſtra eſt, qui argumentaturus *pontem aſini* ſive calcare, ſive conſulere geſtiat. Artem in eo ſitam eſſe putes, ut ſi concluſio AFFIRMATIVA ſit, mente obambules *ſcrinia rationum*, donec terminum invenias, qui neceſſariò, & cum Idea Subjecti, & illâ Prædicati cohæreat. Si NEGATIVA:

VA: quære Ideam, quæ ex uno latere cohæreat alterutri Ideæ Concluſionis, alteri ſecus. E. G. *Punctum eſt diviſibile, quia eſt materia.*

Materia enim habet hoc, ut & in puncto ſit, & dividi queat.

Item: *Luna non habet proprium lumen,* quia obſcuratur ab opaco interveniente.

CAPUT IV.

DE

PROBATIONE SYLLOGISMORUM.

Heic à Logicis doctrina de *Reductione*, & *Expoſitione* proponi ſolet, quam, quòd oneri magis ſit ingeniis, quàm commodi quid, & opis ad Veritatem conferat, extra limites hujus libelli proſcribimus. Satius autem fuerit ex Auctore *Artis cogitandi* hûc aliquid traducere, quod medii univerſalis in loco eſſe poſſit ad inveniendum cujuslibet Syllogiſmi vitium, citra literarum modorumque, ſive inſpectionem ſive reductionem.

Annon datur auxilium aliquod, quo mediante Syllogiſmi alicujus mendoſi vitium deprehendi poſſet citrà nimias ambages?

Utique: Neque enim *operoſis reductionibus* opus eſt, quæ veritatem implicare magis, quàm expedire videntur.

Cedò

Cedò tale Medium!

Obſervandum: Si *Concluſio non continetur in alterutra præmiſſarum*, vitium ſe prodit Syllogiſmi.

*Medius terminus eſt is, qui continet in ſe non tantùm *extrema*, ſed *ipſam veritatem illationis*.
v. g. O. Mancipium paſſionis ſuæ eſt infelix.
O. Sceleratus eſt mancipium. E.
Ecce! Mancipium continet ſceleratum, & infelicem, quæ ſunt extrema Concluſionis.

**Pariter in Negativis, cùm altera præmiſſarum *affirmativa* debeat eſſe, *Propoſitio Negans* continet concluſionem.
v. g. O Felix eſt contentus.
N. Avarus eſt contentus. E.
N. Avarus eſt felix.
Major *indicis* mage, quàm Propoſitionis indolem habet: negativa minor *propriè continet* Concluſionem itidem negativam. Et patet confeſtim: quia qui *non contentus eſt*, *eſt infelix*.

HINC Regulæ: I. PRIMA eſt: Nullus terminus in concluſione poteſt eſſe *generalior*, quàm fuit *in præmiſſis*.

II. SECUNDA eſt: quòd Medius terminus ſaltim *unicâ vice* debeat ſumi *univerſaliter*.

Velim has Regulas per Exempla quædam elucidari.

Dabimus Exempla.

I. Chriſtianorum officium eſt, non laudare illos, qui *committunt ſcelus capitale*.
Sed illi, qui *duello confligunt*, committunt ſcelus capitale.

E. Chriſtianorum eſt non laudare eos, qui duello confligunt.

Dubitari poteſt, an hic Syllogiſmus concludat. Hîc nullâ reductione opus! Inquiritur tantummodò, an *alterutra contineat concluſionem*, & aliqua ſit *univerſalis* Statim videtur, quòd major ferè eadem ſit cum concluſione, hâc tantùm cum differentiâ, quòd ibi *ſcelus capitale*, hîc *duellum* ponatur. Enimverò quis neſcit, duellum ſub ſcelere capitali contineri, quod docet Minor. Nec dubium eſt, quòd *Tò* committere *ſcelus capitale* ſumatur *Univerſaliter*.

II. Evangelium *promittit Salutem Chriſtianis.*
Sed impii dantur, qui ſunt Chriſtiani.
Ergò Evangelium promittit ſalutem impiis.

Hic videtur, quòd Major non contineat concluſionem, quoniam aut de *omnibus*, externe Chriſtianis ſermo eſt: ſic, voluntate Dei conſequente, falſiſſima eſt major: aut de *quibusdam*: ſic adparet defectus: cùm *quidam Chriſtiani* non ſtatim includant *impios*. Aut ſi majorem dicas Univerſalem hoc ſenſu: promittit Evangelium ſalutem Chriſtianis omnibus, i. e. piè viventibus: Minor aperte falſa erit, quia ſubſumptio in impios hoc ſenſû non cadit.

III. Lex divina præcipit, ut pareamus Magiſtratui Politico.
Sed Miniſtri non ſunt Magiſtratus Politicus.
E. Illis parendum non eſt

Apertè

Apertè ſe prodit fucus: Nam *neutra* præmiſſarum continet concluſionem. Quandoquidem non ſequitur, ſi *unum à DEO præcipiatur*, alterum *prohibeatur*. Eſto igitur, Miniſtros verbi ſub Magiſtratu Politico non contineri, minimè tamen præceptum de obedientiâ politicâ, excludet præceptum de obedientiâ Eccleſiaſticâ.

IV. *Is*, qui dicit, te *animal* eſſe, verum dicit.
Sed qui te *anſerem* vocat, dicit te animal eſſe.
E. Qui *anſerem* te vocat, verum dicit.

Sufficit dixiſſe, quòd *neutra è præmiſſis contineat concluſionem*. Videtur equidem Major non differre à Concluſione, quàm ſolo vocabulo arſeris, quod utique ſub animali aliàs continetur. At enimverò Tò animal in majore non ſumitur *Univerſaliter*, ſed *particulariter*; unde anſerem continere nequit. Adparente etiam hoc vitio contra Reg. 2. quòd *nullibi* in præmiſſis medius terminus ſumatur *univerſaliter*.

Hæc pro inſtituto ſatis.

CAPUT V.
DE
SYLLOGISMO COMPOSITO.

Quomodò dividitur Syllogiſmus Compoſitus?

In Exponibilem, & Hypotheticum.

Exponibilis eſt, qui Unâ, vel pluribus propoſitionibus exponibilibus conſtat. *Hypotheticus*, qui

Unâ, vel pluribus propoſitionibus conjunctivis conſtat.

Quotuplex eſt Syllogiſmus EXPONIBILIS?

Quadruplex : Excluſivus. 2. Exceptivus. 3. Limitativus, & 4. Comparativus. ex. gr.

1. Solus homo eſt rationalis.
Solum riſibile eſt homo E.
Solum riſibile eſt rationale.
2. O. homo, *præter Chriſtum*, eſt peccator.
David eſt homo, *præter Chriſtum*. E.
David eſt peccator.
3. O. homo, *quà peccator*, eſt mortalis.
Petrus eſt homo. E.
Petrus, *quà peccator*, eſt mortalis.
4. Leo *fortior* eſt Aſino.
O. Rugiens eſt Leo. E.
O. Rugiens *fortius* eſt Aſino.

Quotuplex eſt Syllogiſmus HYPOTHETICUS?

Triplex: Conditionalis, Copulativus, & Disjunctivus.

1. *Quid eſt Syllogiſmus Conditionalis?*

Cujus Major, vel utraque præmiſſarum eſt conditionalis. *Ut,*

Si avis volat, habet pennas.
Atqui avis volat E. habet pennas.

Dicitur etiam *Hypotheticus in ſpecie*, cujus reſpectu Syllogiſmus Simplex *Categoricus* appellatur.

2. *Quid*

2. Quid eſt Syllogiſmus Copulativus?

Cujus Major Propoſitio eſt Copulativa Negans. *Ut,*

Non & pius eſt homo, & impius.
Sed eſt pius. E. *Non eſt impius.*

Dico Negans. Affirmans non habet Conſequentiam. Ut,

Et juſtus eſt Cæſar, & clemens.
Sed eſt juſtus. E. eſt clemens.

3. Quid eſt Syllogiſmus Disjunctivus?

Cujus Major eſt Disjunctiva. Ut,

Aut fide juſtificamur, aut operibus.
Sed fide juſtificamur. E.
Non juſtificamur operibus.

Quæ ſunt Regulæ Syllogiſmorum Conditionalium?

Poſito Antecedente, ponitur Conſequens.

Et:

Remoto Conſequente, removetur Antecedens. *Non converſim.*

Ponere hîc eſt *repetere*: *Removere* eſt *contradicere.* Ut ſenſus ſit: â *poſitione* (repetitione) *antecedentis, ad poſitionem* (repetitionem) *conſequentis* V. Conſ. Et â *remotione* (contradictione) *conſequentis, ad remotionem* (contradictionem) *antecedentis* V. C. ex. gr.

1. Si Petrus credit, ſalvatur.
Pono Antecedens: *At Petrus credit.*
Pono Conſequens: Ergò *Petrus ſalvatur.*

2. Si Petrus non credit, damnatur,
Pono Antecedens: *At Petrus non credit.*
Pono Conſequens: E. *Petrus damnatur,*

3. *Si Petrus credit, ſalvatur.*
Removeo Conſequens: *Petrus non ſalvatur.* E.
Removeo Antec. *Petrus non credit.*

Et hi duo Canones ſunt hujus Syllogiſmi quaſi duæ figuræ.

Quæ ſunt Regulæ Syllogiſmorum Copulativorum?

Poſito uno (*in Minore*) removetur alterum (*in Concluſione*) Ut,

Non & Rex eſt David, & Tyrannus.
Sed Rex eſt David, E. *non eſt Tyrannus.*
Vel: *Sed Tyrannus eſt David,* E. *non eſt Rex.*

Quæ ſunt Regulæ Syllogiſmorum Disjunctivorum?

I. Poſito, vel remoto uno (*in Minore*) ponitur, vel removetur alterum (*in Concluſione*) Ut,

Aut religio Chriſtiana eſt vera religio, aut Gentilis.
Sed Religio Chriſtiana eſt vera religio,
Ergò non Gentilis. Vel:
Sed Gentilis non eſt vera, E.
Chriſtiana eſt vera Religio.

Nota: per *eſt*, & *non eſt* incommodè fiunt Syllogiſmi Disjunctivi. Ut,

Aut Petrus eſt Aſinus, aut non eſt aſinus,
Sed Petrus eſt aſinus. E. *Non eſt aſinus.*
Debuit ita inferri: E. *non non eſt Aſinus,*

II. Diſ-

II. Disjunctivus non conſtet ex Conſentaneis, Connexis, Subordinatis, Compoſſibilibus, aut Mediatis.

Exempl. vid. ſuprà de Enunciatione Disjunctiva.

CANONES.

I. Syllogiſmi Exponibiles judicentur ex expoſitis.

Nam quando reſolvuntur, ſæpè in *Dicto* eſt conſequentia, in *Modo* verò eſt ἀσυλλογιςία.

II. Syllogiſmi Conjunctivi reducendi ſunt ad Simplices.

1. *Conditionales* vel *exprimunt rationem*, & facilè reſtituuntur. Ut,

Si Petrus eſt animal, ſentit.
Sed Petrus eſt animal. E.

reducitur h. m.

O. *Animal ſentit.*
Petrus eſt animal. E.

Vel *rationem occultant*, quæ protrahenda eſt. Ut, *Si virtus eſt colenda, vitium eſt fugiendum.*
Sed virtus eſt colenda. E.

reſtituitur hoc modo:

O. *Virtutis colendæ Oppoſitum eſt fugiendum.*
Vitium eſt virtutis colendæ oppoſitum. E.
Vitium eſt fugiendum.

2. *Copulativi, & Disjunctivi* reducuntur Majorem negando, & Minorem affirmando. Ut,

Aut fide juſtificamur, aut bonis operibus.
Sed fide. E. Reducitur:
Quicunque fide juſtificantur, illi non juſtificantur operibus.
Atqui: Nos fide juſtificamur. E.
Homo non & animal eſt, & lapis.
Sed homo eſt animal. E.
Reducitur: *Animal non eſt lapis.*
Homo eſt animal. E.

Agendum hîc etiam de Syllogiſmo *Recto*, & *Obliquo*, quòd pateant in plures fallacias. *Obliquus* enim dicitur, qui ex una, vel pluribus propoſitionibus obliquis conſtat. Ut,

Studioſi eſt ſtudere.
Petrus eſt ſtudioſus. E.

Sed cautiùs agit, qui obliquos in rectos transformat, *vid. l.* 2. *c.* 1. *n.* 3.

CAPUT VI.
DE ARGUMENTATONIBUS IMPERFECTIS.

INDUCTIONE, EXEMPLO, ENTHYMEMATE, SORITE, ET DILEMMATE.

1. *Quid eſt INDUCTIO?*

Inductio eſt argumentatio à Singularibus ad Univerſale, vel à minùs Univerſalibus, ad magis Univerſale. Ut,

Vinum Rhenanum calefacit,
Vinum Italicum calefacit,

Vi-

Vinum Nicaricum calefacit.

Nec datur Exemplum diſſimile. E.

Omne vinum calefacit.

Inductio, ἐπαγωγὴ Græcis dicitur, quòd ex *recenſione*, & *collectione* plurium exemplorum, concludat ad omnes, ejusdem generis, & ſpeciei, factâ inde *propoſitione Univerſali*.

Verùm enimverò ſciendum eſt, quòd cùm de *omnibus ſpeciebus*, nedum individuis, v. gr. ſive *canum*, ſive *anſerum*, ſive *virorum*, non conſtet, inde Propoſitio Catholica, niſi temerè, conſtrui non poſſit.

2. *Quid eſt* EXEMPLUM?

Exemplum eſt Argumentatio ab Uno Singulari notiori, ad aliud propter Similitudinem Ut,

David pœnitens receptus eſt in gratiam. E.

Et Petrus pœnitens recipietur in gratiam.

Oſtenditur e. in hoc Argumentationis genere, quòd *Medium* inſit *Extremo*, per terminum *Quartum*, qui ſimilis eſt *tertio*.

Inductio quidem ab omnibus *Singularibus*, *ad Univerſale*; Syllogiſmus item *Expoſitorius*, à *Singulari* ad *Particulare*; Exemplum verò à *Singulari* (uno, vel aliquibus) *ad Singulare* procedit, & nititur hoc fundamento, quòd ſimilium eadem ſit ratio.

3. *Quid eſt* ENTHYMEMA?

Enthymema eſt Argumentatio, in qua altera Præmiſſarum occultatur. Ut,

O. Stella lucet. E. *Sol lucet.*

Enthymema, quia altera Præmiſſarum ἐν θυμῷ reſervatur. Altera, quæ actu exprimitur, dicitur *Antecedens*; Concluſio, *Conſequens*,

Eſtque Enthymema aliud *Simplex*, quod nullam aliam Propoſitionem complectitur; aliud *Crypticum*, in quo loco præmiſſæ occultatæ, ſtat Propoſitio Proſyllogiſtica, & quæ continet probationem Enthymematicæ Propoſitionis, ex. gr.

Scriptura S. dicit, credentes in Chriſtum ſalvari.
Petrus credit in Chriſtum. E. Petrus ſalvatur.

Argumentum Enthymematicum hoc eſt:

Quicunque credit in Chriſtum, ſalvatur.
Petrus credit in Chriſtum E. ſalvatur.

Loco hujus Majoris, ponitur probatio Majoris, ab authoritate S. Scripturæ deſumpta. Hujusmodi Enthymemata Cryptica in Topicis ſunt frequentia. Tale quoque eſt illud Theologorum:

Dextera DEI eſt ubique.
Chriſtus ſedet ad dextram DEI. E.
Chriſtus eſt Ubique.

Major in mente reſervata hæc eſt: Qui *ſedet ad dextram DEI*, eſt Ubique. Hujus loco ponitur Ratio ejus: *Dextra DEI eſt Ubique. Utra a. Præmiſſarum deſit, inde patet*:

I. Si Prædicatum Conſequentis *(Concluſionis)* non continetur in Antecedente (*Propoſitione actu poſitâ*) deeſt major Propoſitio.

II. Si Subjectum Conſequentis, non contineatur in Antecedente, deeſt Minor Propoſitio. *Ratio*: quia *Prædicatum Concluſionis* in *Majore* ponitur; *Subjectum* verò *Concluſionis* in *Minore*. Et ſic facilè liquet, quomodo reductio ſit inſtituenda.

4. *Quid eſt SORITES?*

Sorites eſt Argumentatio ex præmiſſis pluribus, quàm duabus. Ut,

Juſtitia

Juſtitia eſt *virtus.*
Virtus eſt habitus.
Habitus eſt Qualitas.
Qualitas eſt Accidens E.
Juſtitia eſt accidens.

Vocatur Syllogiſmus *acervalis*, (id enim vox Græca ſignificat) quia plures quàm tres Propoſitiones acervantur, ita ut *Prædicatum Primæ* propoſitionis, fiat *Subjectum* Secundæ, & ſic deinceps, donec tandem ultimum Prædicatum enuncietur de Subjecto primæ Propoſitionis. Ut eſt in Exemplo.

Nota: Sorites conſtet ex *neceſſariis*, *univerſalibus*, & *affirmativis*. Ultima tamen præmiſſarum etiam poteſt eſſe *negativa.*

5. *Quid eſt DILEMMA?*

Dilemma eſt Syllogiſmus Disjunctivus utrinque munitus, & feriens Adverſarium. Ut,

Aut benè locutus ſum, aut malè.
Si *benè, cur vapulo?*
Si *malè, teſtificare de malo.*

Dilemma, à Δὶς λαμβάνειν, quia Adverſarium utrinque ferit, dum Utraque Disjunctivæ Enunciationis pars probatione ſua ita ſtipatur, ut adverſarius conſtringatur, ſive hanc, ſive illam partem aſſumat. Ut, *ſervus, aut percipit, quæ Dominus jubet, aut non percipit.* Si *percipit, debet exequi;* Si non, *debuit percipere.*

Nota: Dilemma conſtet ex *immediatis*, & *neceſſariis*, aliàs reſponderi poteſt *dari tertium.*

Hæ omnes Argumentationes imperfectæ facilè reducuntur ad perfectas.

CA-

CAPUT VII.
DE
PARALOGISMO.

Quid opponitur Syllogiſmo Formali?

Paralogiſmus.

Quid eſt Paralogiſmus?

Paralogiſmus eſt Argumentatio peccans in leges Conſequentiæ. Ut,

Omnis homo ſentit,
Leo non eſt homo. E.
Leo non ſentit.

Idem eſt, àc aberratio à λόγῳ: quod fieri poteſt variis ex cauſis: *Ignorantiâ, hebetudine* judicii, *ſubſtitutione* falſæ Ideæ, *depravato* præmiſſarum *ſitu &c.* Sic παραλογίζοντες ἑαυτοὺς (Paralogiſmos efficiunt) qui mero *auditu*, ſine effectu Chriſtianiſmum abſolvunt. Jac. I. 22.

Cedò quasdam Regulas,
quæ ſint norma formalium Syllogiſmorum,
atque Index deviantium.

Regulæ GENERALES.

I. In Syllogiſmo Simpliciter uno, nec plures, nec pauciores debent eſſe Termini, quàm tres:

Peccant ergò Syllogiſmi, in quibus eſt pluralitas terminorum:

1. Ex Æquivocatione. Ut,
Omnis homo (propriè) *eſt Corpus vivum.*
Pictura in pariete eſt homo (metonymicè) E.
Pictura in pariete eſt Corpus vivum.

2. Ex Confuſione Suppoſitionis Materialis cum formali. Ut,

Mus

Mus rodit caſeum. Mus eſt Syllaba. E.
Syllaba rodit caſeum.

Simplicis cum Perſonali. Ut,
Homo eſt ſpecies. Petrus eſt homo. E.
Petrus eſt ſpecies.

Copulativæ cum Diſtributiva.
Omnes Planetæ ſunt ſeptem.
Saturnus, & Jupiter ſunt planetæ. E.
Saturnus, & *Jupiter, ſunt ſeptem.*
Omnes Germani ſunt tota natio.
Omnes Stutgardiani ſunt Germani. E.
Omnes Stutgardiani ſunt tota natio.

3. Ex Terminorum mutatione, auctione, mutilatione, diſtractione. *Ut,*
Philoſophia (abſtractivè) *eſt Accidens.*
Auguſtinus eſt Philoſophus (concretivè) E.
Auguſtinus eſt Accidens.
Nullum malum (abſtractivè) *eſt à Deo.*
Cor hominis eſt malum (Concretivè) E.
Cor hominis non eſt à Deo.
Templum eſt lapideum.
Paſtor eſt in templo. E.
Paſtor eſt lapideus (Paſtor eſt in eo, quod eſt lapideum.)

Quatuor Termini. 1. Templum. 2. Lapideum. 3. Paſtor. 4. in Templo.
N. aqua bibit vinum.
O. homo bibit aquam. E.
N. homo bibit vinum.

1. Aqua. 2. bibit vinum. 3. homo. 4. bibit aquam.

II. Ex puris negativis nihil ſequitur.

Sic peccant:
Nullus homo eſt beſtia.
Nullus Leo eſt homo. E.
Nullus Leo eſt beſtia.

III. Ex

III. Ex puris particularibus nihil ſequitur.

Sic peccat:

Omnis *Contradictionis altera pars eſt vera.*
Omnis *Contradictionis altera pars eſt falſa.*
E. *Pars falſa, eſt pars vera.* vid. l. 2. c. 3. Can. 3.
Q. *Candidum eſt venenum,*
Q. *Candidum eſt Saccharum.* E.
Q. *Saccharum eſt venenum.*
Quod ego ſum, tu non es.
Ego ſum homo. E. Tu non es homo.

Major eſt *Particularis.* Nam Univerſalis: *Omne id, quod ego ſum, tu non es!* falſa eſt.

Eſſentia divina eſt Pater.
Eſſentia divina eſt Filius. E.
Filius eſt Pater.

Major eſt *Particularis.* Nam Univerſalis: *Omne id, quod eſt* eſſentia divina, eſt Pater; falſa eſt.

Λόγος eſt in homine.
Homo eſt λόγος, E. Homo eſt in homine.

Major eſt *particularis.* Non enim licet dicere: *Omne id, quod eſt λόγος, eſt in homine.*

Inutilia non ſunt diſcenda.
In Philoſophia multa ſunt inutilia. E.
Philoſophia non eſt diſcenda.

Ita inferendum:
E. *Inutilia in Philoſophia non ſunt diſcenda.*

IV. Nec plus, nec minus ſit in concluſione, quàm fuit in præmiſſis. Sic peccat in *defectu*:

Homo habet oculum.
Homo habet pedem. E. *Pes eſt oculus.*

Malè. Sic enim inferendum: Ergò.
Qui habet oculum, habet pedem.

N ani-

N. *animal, dum dormit, vigilat.*
O. *homo eſt animal, dum dormit.* Ergò,
N. *homo vigilat.* (dum dormit)

Contrà in *exceſſu* peccat:
Omnis Infidelis damnatur.
Judas eſt infidelis. Ergò.
Judas abſolutè damnatur.
Omnis Philoſophus eſt doctus.
Omnis Philoſophus eſt homo. Ergò
Quidam homò neceſſariò eſt doctus.

REGULÆ SPECIALES.

1. *PRIMÆ Figuræ.*

In *Prima* Figura Major Univerſalis, & Minor Affirmans eſto.

Peccant ergò 1. Ex defectu Majoris Univerſalis:
Quidam homo damnatur.
Omne animal rationale eſt homo. Ergò
Omne animal rationale damnatur.

2. Ex defectu Minoris Affirmantis:
Omnes electi ſunt vocati.
Soli credentes ſunt electi. Ergò
Soli credentes ſunt vocati.
Omnes electi ſunt vocati.
Pauci ſunt electi. E. *Pauci ſunt vocati.*

Minor eſt virtualiter negativa hoc modo:
Omnes electi ſunt vocati.
Quicunque non ſunt credentes, non ſunt electi. E.
Quicunqne non ſunt credentes, non ſunt vocati.
Omnes electi ſunt vocati.
Non omnes ſunt electi. E.

Patet ex ſimili materia:
Omnis homo eſt quadrupes.
Solum rationale eſt homo. E.

2. *SE-*

2. *SECUNDÆ Figuræ.*

In Secunda Figura Major debet eſſe Univerſalis, & præmiſſarum altera negans.

Fallunt ergò:

Omnes impii affliguntur.
Job affligitur. E. *Job eſt impius.*
Quædam delicta puniuntur à Magiſtratu.
Ebrietas non punitur à Magiſtratu. E.
Ebrietas non eſt delictum.
Aliqua aqua eſt gemmifera.
Aliqua terra eſt gemmifera. E.
Aliqua terra eſt aqua.

3. *TERTIÆ Figuræ.*

Sit Minor Affirmans, Concluſio Particularis.

ἀσυλλόγιστοι ergò ſunt:

O. *Mons eſt altus.*
N. *Mons eſt turris.* E.
N. *Turris eſt alta.*
O. *Credens ſalvatur.*
O. *Credens eſt homo.* E.
O: *Homo ſalvatur.*

Sed annon etiam dantur Paralogiſmi circa Propoſitiones modales?

Utique; eopſe enim, quòd modi ſimplicitatem ſtructuræ in Syllogiſmis convellant, iisque quædam additamenta conceptuum commiſceant, proclive eſt in Syrtes deceptionis incidere.

Sit Exemplum:

Neceſſe eſt hominem eſſe animal.
Contingit hominem eſſe doctum. E,
Contingit hominem eſſe animal, Con-

Concluſio mutilatè illata eſt, ut patet ex transformatione:

O. homo neceſſariò eſt animal.
Quidam homo contingenter eſt doctus. E.
Q. contingenter doctus neceſſariò eſt animal.
Impoſſibile eſt DEUM mentiri.
Impoſſibile eſt Diabolum eſſe DEUM. E.
Impoſſibile eſt Diabolum mentiri.

Peccat 1. *quaternione terminorum.* (1. DEUS. 2. Mentitur impoſſibiliter. 3. Diabolus. 4. ImpoſſibiliterDEUS) 2. *puris negativis*; hic enim ſenſus eſt.

Deus non poteſt mentiri.
Diabolus non poteſt eſſe DEUS. E.
Diabolus non poteſt mentiri.

Da Paralogiſmum circa Exponibiles.

O. homo ſentit.
Solum rationale eſt homo. E.
Solum rationale ſentit.

Peccat in forma, quia Minor eſt *virtualiter negans: Quod non eſt rationale, non ſentit.* Et ſic τὸ *ſentit* in Majore non diſtributum, in Concluſione diſtribuitur.

Solus homo eſt Philoſophus.
Davus eſt homo. E. Davus eſt Philoſophus.

Peccat, quia procedit à Majore particulari in prima figura. Si Modum reſolvas, prodibunt quatuor termini.

O. brutum ſentit.
O. animal, præter hominem, eſt brutum. E.
O. animal, præter hominem, ſentit.

Et hîc *Minor eſt negativa:*

Homo non eſt brutum.

Filius DEI eſt *paſſus.*
Chriſtus, ſecundùm divinam naturam, eſt Filius DEI. E.
Chriſtus, ſecundùm divinam naturam, eſt paſſus.

Sunt *quinque termini* 1. Filius DEI. 2. Paſſus. 3. Chriſtus. 4 ſecundùm divinam naturam filius DEI, 5. ſecundùm divinam naturam paſſus.

Quod melius eſt adulterio, illud eſt bonum.
Atqui: Scortatio melior eſt adulterio. E.
Scortatio eſt bona.

Fallit, quia ſi pro *Melius* dicas *Minus malum*, Major erit falſa.

Quid de Compoſitis? Cedò Exemplum!

1. *In Hypotheticis.*

Si Petrus eſt doctus, eſt homo.
Sed Petrus eſt homo. E. eſt doctus.

Peccat; quia ex *Affirmatione Conſequentis,* infert *Affirmationem Antecedentis.*

Si homo eſt Spiritus, eſt Subſtantia.
Sed Homo non eſt Spiritus. E. *non eſt Subſtantia.*

Fallit, quia à *remotione antecedentis,* infert *remotionem conſequentis.*

2. *In Disjunctivis.*

Aut Deus eſt timendus, aut diligendus;
Sed Deus eſt diligendus. E.
Non eſt timendus.

Fallit; quia opponit *conſentanea.*

Fortè Imperfectis idem evenit, quòd imperfectæ ſint?

Maximè, id par erit cognoſcere ex variis exemplis.

1. *INDUCTIONIS.*

Pulchrum eſt *Philippi* exemplum.

Athanaſius fuit cœlebs.
Ambroſius fuit cœlebs.
Baſilius fuit cœlebs, & *alii innumerabiles.*
E. *Omnes Epiſcopi fuerunt cœlibes.*

Nego

Nego Conſequentiam, quia proferri poſſunt diſſimilia exempla, vera & probata, ut *Spiridonis*, *Nazianzeni Patris*, *Polycratis*, qui ait ſe octavum eſſe Epiſcopum &c. Ergò eſt *inſufficiens enumeratio.*

2. EXEMPLI.

Exempla iterum ſuppeditat *Philippus:*

Abraham rectè fecit, volens immolare filium. E.
Agamemnon rectè fecit mactatâ Iphigeniâ.
Petrus occidit mentientem Ananiam. E.
Licet docentibus in Eccleſia gladio ferire delinquentes.
Apoſtoli & eorum auditores in Judæa contulerunt facultates in commune. E.
Chriſtianis non licet habere proprium.

Hæ Argumentationes peccant, quòd procedant *non à Simili.* Nam in *primo*, Abrahami propoſitum fiebat ſecundùm præceptum DEI; Agamemnonis contra præceptum DEI. In *altero*, Petrus occidit verbo, & motu Spiritus S. *non gladio.* In *tertio*, 1. Eccleſia Apoſtolica habebat ſingularem cauſam, quæ aliàs exſpirat. 2. Nec erat præceptum, ſed conſilium pro tempore perſecutionis initum.

3. SORITIS.

Ex malis moribus oriuntur bonæ leges.
Ex bonis legibus oritur diſciplina.
Ex diſciplina oritur ſalus Reipublicæ. E.
Ex malis moribus oritur ſalus Reipublicæ.
Qui benè bibit, benè dormit.
Qui benè dormit, non peccat.
Qui non peccat, eſt beatus. E.
Qui benè bibit, eſt beatus.

Peccant, quia cohærent ex Contingentibus. (ut taceantur alia vitia.)

Omnis homo eſt bipes.
Quoddam bipes eſt brutum.
Quoddam brutum eſt Leo. **E.**
Quidam homo eſt Leo.

Peccat, quia omnes, præter primam, ſunt *particulares*.

Nullus homo eſt lapis.
Nullus lapis eſt brutum.
Nullum brutum eſt rationale. **E.**
Nullus homo eſt rationalis.

Peccat, quia formatur ex *Negativis*.

4. DILEMMATIS.

Notum eſt illud *Biantis*.

Aut uxor formoſa eſt ducenda, aut deformis.
Si *formoſa*: *erit* κοινὴ (communis.)
Si *deformis*: *erit* ποινὴ (pœna.)

Peccat, quia 1. *datur tertium* inter formoſam, & deformem, nimirum, quæ eſt mediæ formæ. 2. *formoſa* non ſtatim eſt κοινὴ, nec *deformis* ποινὴ.

Sic illud hoſtium Chriſti:

Aut cenſus dandus eſt Cæſari, aut Deo.
Si Deo? non Cæſari; quod eſt crimen læſæ Majeſtatis.
Si Cæſari? non Deo; quod eſt ſacrilegium.

Reſpondet Chriſtus: *Et Cæſari*, quia ipſius Subditi eſtis, & *Deo*, quia ipſius populus eſtis.

Plures Paralogiſmi occurrunt infrà c. 12. 13.

CA-

CAPUT VIII. DE SYLLOGISMO MATERIALI IN GENERE.

Quomodo dividitur Syllogiſmus ratione Materiæ?

In Dialecticum, & Demonſtrativum.

Hîc ſe aperiret magnus dicendi campus, cùm de *Topicis*, & *Demonſtrativis* argumentis ſermo deberet fieri. TOPICA ſunt: quæ εἰς τόπους, & quaſi *loculos* illata non aliam vim habent illationis, quàm quæ inter τῶν πιθανῶν, *probabilium* confinia conſiſtit, *dubio* planè nexu, ſaltim incerto medii termini. Rhetorum ea eſt occupatio, ut ex ejusmodi locis argumententur, & incautis auribus mentibusque imponant. Unde ferè ex Patria Logica deberent eliminari. Gratiam tamen habent, ſi rectè diſponantur, doceaturque, quibus in *cauſis*, atque *exemplis* tam *ſacris*, quàm *profanis* minimè fallant, licet ab iis ceu particularibus ad univerſale concludi nequeat.

DEMONSTRATIONIS (ἀποδείξεως) ea vis eſt, ut cogat *aſſenſum indubiis, evidentibus*, & *claris* rationibus, queis intellectus obniti non poſſit. *Mathematicis* potiſſimùm ea debetur gloria, *ut convincant*: ſed & *Logicis*, eâ arte, quam Ariſtoteles haud ineptè docuit *lib. poſt. Analyt.* Methodi autem erat talia ὀρθῶς proponere, & inſtruere ani-

animum hominis, quâ *viâ*, & *ratione indagare* veritatem, & *reſolvere* & *proponere* debeat. At ſequamur veſtigia veterum.

Quid eſt Syllogiſmus Dialecticus?

Qui ex principiis communibus gignit opinionem.

Quid eſt Syllogiſmus Demonſtrativus?

Qui ex principiis propriis gignit ſcientiam.

Quæ eſt materia circa quam verſatur Syllogiſmus Dialecticus?

Quæſtio problematica.

Quæ eſt materia circa quam verſatur Syllogiſmus Demonſtrativus?

Quæſtio Didascalica.

Omnis noſtra cognitio diſcurſiva pendet, vel *à Ratione*, vel ab *Auctoritate*. *Ratio*, ſi procedat ex principiis *communibus*, gignit *Opinionem*. *Si propriis*, *Scientiam*. *Auctoritas* verò gignit *Fidem*. Illius Inſtrumentum Logicum dicitur Syllogiſmus *Dialecticus*; Iſtius *Demonſtrativus*. Hujus dici poteſt *Aſſumptivus*: neque hunc cum iſtis confundendum eſſe, cuivis conſideranti patebit; quia Argumenta ab authoritate ſumpta, ſive in actu ſignato, & genericè conſiderentur, ſive in actu exercito, & ſpecificè, neque ad demonſtrativum, neque ad Dialecticum ἐνμεθόδως referri poſſunt.

Explica mihi terminos ſuperiorum definitionum.

Principiis Communibus, Propriis) *Propoſitiones in Syllogiſmo materialiter conſiderato ſunt, & dicuntur* Principia. Et *Principium quidem* Commune

ne *dicitur Propoſitio, vel pronunciatum aliquod* univerſale, *quod indefinitè ad omnium diſciplinarum diſputationes transferri poteſt.* Vulgò vocatur Maxima. *Principium verò* proprium *eſt propoſitio* domeſtica, *ad illam diſciplinam ſpectans, ad quam ſpectat quæſtio propoſita.* Sic *commune principium eſt*: Poſitâ causâ ponitur effectus. At *Proprium Phyſicæ*: Ex nihilo nihil fit.

Opinionem) *Opinio eſt cognitio rei imperfectè evidens, qua intellectus inclinatur propter rationem aliquam communem ad aſſentiendum alicui Concluſioni minùs firmiter, & cum formidine Oppoſiti.*

Scientiam) *Scientia eſt cognitio rei perfectè evidens, qua intellectus inclinatur ad aſſentiendum alicui concluſioni propter rationem aliquam propriam, & convincentem, quæque facit ſcientem* ἀμετάπτωτον, *& infallibilem.*

Opinioni *autem* & Scientiæ *opponitur* Fides, *quæ (hoc loco) eſt cognitio rei inevidens, qua intellectus inclinatur ad aſſentiendum alicui Concluſioni propter principium extrinſecum, ſive ab authoritate dicentis aſſumptum. Eſtque* Fides *hæc*, divina, *vel* humana. Humana *eſt habitus, quo Intellectus aſſentitur alicui Concluſioni infirmiter, & cum formidine oppoſiti, propter authoritatem dicentis fallibilem.*

Huc ſpectant teſtimonia *hominum* fide dignorum, Scripta *Apocrypha*, Teſtimonium *Eccleſiæ*, *Concilia*, *Leges*, *Reſcripta*, *Senatus Conſilia*, *Sententiæ doctorum*, *Obligatione*, *Sponſiones &c.*

Fides autem Divina *(hoc loco) eſt habitus, quo Intellectus aſſentitur Concluſioni alicui firmiter & infalli-*

fallibiliter propter authoritatem Dei, fallere, & falli neſcii. Et nititur hæc fides divina duobus hiſce Principiis Complexis:

Quicquid Deus in Scripturis, à ſe inſpiratis teſtatur, illud certiſſimè, & infallibiliter verum eſt. Atqui Deus in Scripturis à ſe inſpiratis teſtatur. Ex. gr. *Chriſtum eſſe Filium Dei unigenitum: Omnem credentem ſalvari* &c. *Ergò Chriſtus eſt Filius Dei Unigenitus: Omnis* credens *ſalvatur.*

OBSERVATIO.

Quando verò Concluſiones ex primo illo Principio naturâ noto eliciuntur, tunc iſtæ Concluſiones reſpectu eorum, quæ κατὰ διάνοιαν & virtualiter in iis continentur, & ex eis eliciuntur, fiunt Principia. Ut,

Qui eſt Filius Dei Unigenitus, ille eſt Patri ὁμοούσιος

Chriſtus eſt Filius Dei Unigenitus. E.

Eſt Patri ὁμοούσιος

Veritatem Majoris lumen naturæ ſuppeditat. Veritas autem Minoris reſolvitur in authoritatem teſtantis Dei, mentiri neſcii. Unde, quamvis ingenium Demonſtrationis referat, tamen quia ultima ratio, in quam reſolvitur, & propter quam concluſioni fide divina creditur, eſt authoritas Dei, ideò ejusmodi argumenta etiam inter Aſſumptiva ſunt numeranda, ut cùm dico:

Qui eſt Creator, eſt Deus.

Spiritus Sanctus eſt Creator. E.

Major eſt Luminis naturæ, & demonſtrat à poſteriori, nimirum ab Effectu Dei proprio ad Cauſam; quia verò Minor eſt de Fide, & reſolvitur in authoritatem Dei, id teſtificantis, ideò Aſſumptivus Syllogiſmus eſt.

Quæſtio Problematica) id eſt, *in utramque partem diſputabilis,* πρόβλημα à προβάλλομαι, *quia ejus-*

ejuſmodi Quæſtio, velut pomum Eridos, in medium projicitur; ſitque cum interrogatione utriusque partis Contradictoriæ. Ex. gr *an voluptas ſit ſummum bonum, necne? In quo differt à Syllogiſmo Demonſtrativo, qui unam tantùm Contradictionis partem ſumit, & concludit. Unde etiam dicitur* Dialecticus, *à* διαλέγεσθαι, id eſt, *in utramque partem diſputare, quod olim uſitatè fiebat ab interrogante, & reſpondente, bodie ab opponente, & defendente.*

Quæſtio Didaſcalica. *Quæ alterutram tantùm Contradictionis partem aſſumit, eamque* οἰκείοις λήμμασιν, id eſt, *domeſticis, propriis & vernaculis principiis confirmat: Metaphyſicam ſcilicet, Metaphyſicis: Phyſicam, Phyſicis: Theologicam, Theologicis, ſive* πνευματικὰ πνευματικοῖς (1. Cor. 2. 13. (*Eſtque ejus uſus proprie inter doctorem, & diſcipulum.*

Quid inſervit tractationi Quæſtionum?

Methodus.

Dicitur à μετὰ, & ὁδὸς, lat. progreſſus. De hac ut in genere hic agamus intereſt, donec Sedem propriam, & fixam nobiliſſimo huic Inſtrumento inveniant Logici.

Quid eſt Methodus?

Methodus eſt apta homogeneorum Ordinatio.

Homogenea, ὁμογενῆ *dicuntur, quæ idem Subjectum, idem Principium, eundemque finem ſpectant.*

Quomodo dividitur Methodus?

In 1. Syntheticam & Analyticam.
2. Univerſalem & Particularem.
3. Didaſcalicam & Elenchticam.

1. Quæ eſt Methodus Synthetica?

Quæ progreditur à principiis ad principiata.

Id eſt: à Generalibus *ad* Specialia ; *ab* Efficientibus *ad* Effecta; *à* Mediis, *ad* Finem; *à* Simplicibus *&* Partibus *ad* Compoſita *&* tota. *Hac via traduntur Diſciplinæ* Theoreticæ, *quarum Objectum eſt θεωρητικὸν ſive Contemplativum. Ut*, Gnoſtologia, Noologia, Metaphyſica, Pneumatica, Phyſica, & Matheſis.

Quæ eſt Methodus Analytica?

Quæ progreditur à principiatis ad principia.

Ordine ſc. inverſo. id eſt : à Fine q, & ȣ *ad* Media. *Unde dicitur ὁδὸς ἐπὶ τὰς ἀρχὰς, via ad principia. Hac Methodo gaudent Diſciplinæ* Practicæ, *quarum Objectum eſt πρακτικὸν ſive Activum. Ut*, Ethica, Politica, Oeconomica. *Ad has reducuntur quoad tractandi modum tùm* Facultates, *ut vocant*, ſuperiores: Theologia, Jurisprudentia, Medicina; *tùm* Artes, *ut* Ars Militaris, Fabrilis &c. *tùm* Diſciplinæ Inſtrumentales, Grammatica, Rhetorica, Logica &c.

Quæ eſt Methodus Univerſalis?

Diſpoſitio totius Diſciplinæ.

Quæ eſt Methodus Particularis?

Diſpoſitio certi Thematis.

Quid vocas Thema?

Thema dicitur Materia vel Subjectum Tractationis.

Quotuplex eſt Thema?

Thema *aliud eſt* Simplex, Ut: *Angelus, aliud*

aliud Conjunctum, Ut: *Sunt ne Angeli motores orbium cæleſtium?*

Thema Simplex *eſt Quæſtio una & ſimplex, ad quam non poteſt reſponderi* Ita *vel* Non; ſed nudè, vel per Quæſtiones ſimplices: Quis? Quid? Ubi? Quibus auxiliis? Cur? Quomodo? Quando? *tractanda eſt. Ut, ſi doceatur: Quis ſit Autor* Decalogi? *Quid* ſit Decalogus? *Ubi* ſit promulgatus? *Cujus Miniſterio? Quo Fine? Quo apparatu; Quo tempore?*

Thema verò Conjunctum *eſt Quæſtio, vel confirmanda aut refutanda eſt; ad quam reſponderi poteſt* Ita, *vel* Non: *quia tractatur per Quæſtionem Conjunctam* An ſit. Ut, An Chriſtus ſit Meſſias?

Loci Communes, *quibus Thema* Simplex *tractari ſolet, ſunt* à Notatione, Definitione, Diviſione, Cauſis, Adjunctis & Oppoſitis. *Quidam etiam ſecundùm* decem Prædicamenta *tractationem inſtituunt. vid. D. Wagneri Gymnaſiol. Logico-Rhetor:* Loci *Thematis* Conjuncti *ſunt* à Cauſis, Adjunctis, Antecedentibus, & Conſequentibus; Circumſtantiis, Diſſentaneis, Comparatis & Teſtimoniis.

Quæ eſt Methodus Didaſcalica?

Quæ ponit Theſin.

Id eſt: *Quid ſentiat ſtatuit, explicat, confirmat, ab Adverſariorum Objectionibus vindicat, & defendit.*

Quæ eſt Methodus Elenchtica?

Quæ oppugnat Antitheſin.

Id eſt: *Sententiæ Adverſarii contradicit.* Didaſcalica Elenchticam antecedat, niſi animus Auditoris erroneis præjudiciis nimis occupatus ſit, quæ velut nebulæ priùs diſcutienda ſunt.

CA-

CANONES.

I. Syllogiſmus Dialecticus non deſtituitur ſuo uſu.

Utilis ſanè eſt 1. in Analyſi Scriptorum aliorum, ubi ſæpe pro Demonſtrationibus venditantur, quæ vix probationis Dialecticæ nomen merentur.

2. In *γνώσει* ſuccurrit Intellectui ad comparandam qualemcunque rei cognitionem, cùm proxima, & adæquata rerum principia non ſemper obvia ſint.

3. Facit ad confirmanda, & declaranda *ἀναπόδεικτα*, & indemonſtrabilia rerum Principia.

4. Præparat intellectum ad demonſtrationem, velut levibus velitationibus Tirones ad prælia præparantur.

II. Problema debet eſſe utile, honeſtum, dubium, pervium.

Utile. *Omnia cujusque generis problemata in Topicis diſputari poſſunt, Phyſica, Ethica* &c. *ex principiis ſcil. communibus. Limites tamen ſuos habent iſta problemata, nimirum debent eſſe primò* utilia, *non otioſa, non μωρὰς καὶ ἀπαιδεύτους ζητήσεις*. 2. Tim. 2. 23. *quales ſunt*: an mulieres ſint homines? Cur Deus prohibuerit carnem ſuillam, non leporinam? quare non arandum bove ſimul, & aſino? an, & qua de cauſa, etiamſi homo lapſus non eſſet, Filius Dei fuiſſet incarnatus? *quas Rabbinorum, & Scholaſticorum otioſas quæſtiones perſtringit Dannhavv. Id. Diſp. Pag. 34.*

Honestum. *Quod pietati, & honeſtati non repugnet. Neque enim diſputandum eſt:* an Deus ſit colendus, *necne?* an parentes ſint honorandi, *necne?* an promiſcuæ libidines ſint licitæ, *necne?* Si mus roſe-

roſerit hoſtiam, excommunicandusne ſit? an à Miſſatico devorandus? an adorandus? An Deus ſit cauſa peccati, *necne?* &c. Per ejusmodi enim Quæſtiones pietas, & boni mores labefactantur, animique hominum ad impias blaſphemasque cogitationes inclinantur.

Dubium. *Nam de iis, quæ per ſe clara, & ſenſui manifeſta ſunt, non eſt inſtituenda Diſputatio*: Ex. gr. an Nix ſit alba, *necne*? an Sol ſit calidus, *necne?*

Pervium. Id eſt, *quod non impoſſibile, non nimis obſcurum, ſterile, à probatione Dialectica remotum, principiis domeſticis potiùs, quàm communibus ſtabiliendum.*

III. Omne principium dialecticum debet eſſe ἔνδοξον.

Id eſt, *probabile, vero conſentaneum.* Cui opponitur παράδοξον, *abſurdum, abſonum, vero non conſonum, & à communi hominum, vel aliorum Sapientum conſenſu alienum. Qualia Paradoxa ſunt illud Anaxagoræ*: nivem eſſe atram. *Antiſthenis*: non dari contradictionem.

IV. Quod ſcimus, debemus rationi; quod credimus, Autoritati.

Scire docet Ratio: *ſed credimus Autoritati.*

V. Autoritas divina major eſt omni Demonſtratione.

VI. Ab Autoritate divina in rebus fidei argumentamur affirmativè, & negativè, in cæteris affirmativè tantùm. Ut,

Scri-

Scriptura Sacra docet, Deum eſſe unum in eſſentiâ, & trinum in perſonis. E. *hoc eſt credendum.*

Scriptura S. non docet, mortuos eſſe invocandos. E. *non ſunt invocandi.*

Dico: In rebus fidei. *At in cæteris*, id eſt, *in Philoſophicis, hiſtoricis, politicis, medicis &c. tantùm affirmativè, non negativè procedimus. Sic procedit:*

Moſes dicit, dari aquas ſupracœleſtes. E. *dantur. At non procedit:*

Moſes nihil docet de Antipodibus. E. *Non dantur Antipodes.*

VII. Ex una, vel utraque præmiſſa divina gignitur fides divina. *Quia ratio ultima, propter quam intellectus aſſentitur Concluſioni, eſt authoritas Dei.*

*Etſi igitur altera Præmiſſarum ſit naturalis, tamen aſſenſus concluſioni adhibitus divino Teſtimonio nititur. Illud enim axioma: *Concluſio ſequitur partem debiliorem*, de debilitate propoſitionis *particularis*, aut *Negativæ*, non verò de Conditione ipſius *materiæ* intelligendum eſt. Id quod in Theologiâ probè notandum.

VIII. Multitudo errantium non parit patrocinium erranti. *Maximè in rebus fidei, quarum veritas non pendet a conſentientium pluralitate, ſed à Verbi θεοπνεύστου veritate.*

IX. Artifici (*vel cuivis perito*) in ſua arte (*rationibus ſolidis ſuperſtructa*) eſt credendum.

X. In

X. In *actionibus*, & *conſiliis* ad prudentiorum: In *Rationibus* ad Sapientiorum conſenſum eſt provocandum.

XI. Non omne teſtimonium habet autoritatem. Oportet enim teſtes eſſe idoneos, veraces, paſſionibus non deditos &c. Unde eſt, quòd teſtimonium amici pro amico *infirmum*: hoſtis contrà hoſtem *ferè nullum*: at pro hoſte *firmius* ſit.

XII. Bona Methodus à facilioribus incipit, quaſi per gradus ad minùs facilia progreditur, atque omnia aptis Connexionum vinculis inter ſe conjungit. Ut tota Tractatio ſit aliqua quaſi σωματοποιΐα.

XIII. *Genus* dividendum eſt in omnes ſuas *Species*: *Totum* in omnes ſuas *Partes*: & quævis *difficultas* in omnes ſuos *Caſus*.

XIV. Diſputationes ſunt Inſtitutum optimum. *Vide hoc peroratum à Dn. D. Danhauero Id: B. Diſp. p. 7.* & *ſeqq.* & *à Rudrauf. Inſtit. Log. p. 438.* & *ſeqq. Diſputandum verò eſt legitimè.*

DIGRESSIO
De Officio rectè diſputantium.

1. *Status Controverſiæ accuratè* eſt formandus, & exactè conſtituendum quid quæratur, & Quomodo Quæſtioni contradicatur? aliàs Andabatarum more pugnabitur.

Quod Argumentum abſolvit Dn. Corn. Martini in Anal. p. 30. & *ſeqq.*

2. Omnia

2. Omnia fiant ſecundùm *Normam Logicam*, Absque Logica enim diſputare eſt ἀλόγως diſputare.

Vid. iterum Corn. Mart. l. c. p. 92. & ſeqq.

3. Opponens & Reſpondens officio ſuo probè fungantur.

Officium autem Opponentis eſt:

α) *Theſi contradicere.*

β) *Contradictionem probare.*

γ) *Ad datas Reſponſiones inſtare.*

δ) *Reſponſionem ad Majorem, vel Minorem urgere.*

Officium Reſpondentis eſt:

α) *Argumenta contraria repetere.*

β) *Vitioſâ exiſtente formâ ad materiam non reſpondere.*

γ) *Formâ exiſtente bonâ ad alteram præmiſſarum reſpondere*; nimirum ad veram, *Concedendo*; ad falſam, *Negando*, vel *Invertendo*; ad ambiguam, *Diſtinguendo*; ad eam, quæ completè diſtributivam præ ſe fert, Inſtando.

δ) *Ad probandam Theſin non facilè deſcendere.*

Vide plura apud D. Danh. Id. Diſp. p. 87. 105. & *ſeqq. Et Dn. Horn. de proceſs.* Diſp. c. 8. p. 125. *Item Dn. Nold. Log. Recogn.* p. 402. & ſeq.

CAPUT IX.
DE SYLLOGISMO DIALECTICO. IN SPECIE.

Unde petuntur MAXIMÆ, ſive Principia Communia?

Ex Locis. *Locus*

Locus eſt ſedes argumenti, ſive principii, ex quo aliquid infertur probabiliter. Unde Syllogiſmus *Dialecticus* etiam *Topicus* dicitur.

Quotuplices ſunt Loci?

Triplices potiſſimùm: 1. Grammatici. 2. Logici. 3. Metahyſici.

I. Loci GRAMMATICI.

Horum ſunt *duo*: 1. à Notatione. 2. à Conjugatione.

1. *Notatio* ſive *Etymologia* eſt Nominis interpretatio. Ut, *Omniſcius* à *Scire omnia*.

2. *Conjugatio* eſt Vocis à Voce, ratione ſignificationis, derivatio. Ut, *juſtitia, juſtus, juſtè*.

MAXIMÆ ſeu Canones Loci à *Notatione*.

I. Cui competit Nomen (1. *Appellativum, vel* 2. *Proprium divinitus impoſitum*) ei quoque Notatio competit. Ut,

Vocatur JEſus. E. *ſalvabit populum ſuum*.

At non ſequitur:

Vocatur Fridericus (nomine humanitùs impoſito.)

E. *eſt pacificus*, Friedenreich.

II. Cui competit Notatio, eidem quoque Nomen competit (ſi Nomen non ſit æquivocum, & Notatio Nomini adæquata. Ut,

De viro ſumpta eſt. E. *eſt virago*.

Omnia poteſt. E. *eſt Omnipotens*.

At non ſequitur.

Habet animam. E. *eſt animal.*
quia *animal* & *anima* ſunt inadæquata, & hoc, quàm illud, latiùs patet.

MAXIMA Loci à *Conjugatione.*

De quo unum Conjugatorum affirmatur, vel negatur, de eodem affirmatur vel negatur alterum. Ut,

Peccatum eſt iniquitas. E.
Peccare eſt iniquum, Et *Peccator iniquus.*

Diſting. 1. *inter per ſe* & *per accidens.* Sic non ſequitur: *Medicus eſt Pius.* E. *Medicina eſt Pietas.*

2. Inter *actum* & *habitum, potentiam* & *actum.* Sic non ſequitur:

Cambyſes ſemel fecit juſtè. E. *eſt juſtus*;
Architecto ineſt ars ædificandi. E. *ædificat.*

3. Inter *formam Intrinſecam* & *Extrinſecam.* Sic non ſequitur:

Vinum calefacit. E. *eſt calidum.*

II. Loci LOGICI deſumuntur:

1. à Prædicabilibus. 2. Definitione. 3. Diviſione.

1. MAXIMÆ à 1. *PRÆDICABILIBUS.*

I. Poſito Genere, ponitur ſpecies. Sublato Genere, *tolluntur* Species. Ut.

Eſt animal. E. *homo, vel brutum.*
Nulla Creatura fuit ante mundum conditum, E.
Nec Materia prima, nec Angeli &c.

III. Poſita Specie, ponitur Genus (*in Potentia*) ſublatis ſpeciebus, tollitur Genus. Ut,

Eſt roſa. E. *eſt planta.*
Nec homo eſt, nec brutum. E. *nec animal.*

III. Po-

III. Poſitâ vel ſublatâ Differentiâ ultimâ, ponitur vel tollitur Species. Ut,

Eſt animal ratione præditum. E. *eſt homo.*
Non eſt ſenſitivum. E. *non eſt animal.*

IV. Poſito vel ſublato Proprio, ponitur vel tollitur ipſa eſſentia. Ut,

Eſt rugibile, E. *eſt Leo.*
Non tendit ſurſum. E. *non eſt leve.*

V. Poſito accidente (*proprio vel communi*) ponitur Subjectum, non viciſſim. Ut,

Datur albedo. E.
Datur Subjectum aliquod, cui albedo inhæret.
Glocitat. E. *eſt gallina.*

MAXIMÆ â 2. *DEFINITIONE & 3. DIVISIONE.*

I. Cui competit vel non competit Definitio, ei etiam competit, vel non competit Definitum. Ut,

Avarus fiduciam ſuam collocat in Creaturam.
E. *eſt Idololatra.*
Papa extollit ſe ſupra Deum & omne σέβασμα,
E. *eſt Antichriſtus.*
Angelus non eſt circumſcriptus ſuperficie corporis.
E. *Non eſt in loco.*
Eſt invidus. E. *dolet alienis rebus ſecundis.*
Non eſt juſtus. E. *non tribuit ſuum cuique.*

II. Cui competit vel non competit Diviſum, ei etiam una ex partibus dividentibus competit, vel non competit. Ut,

Omne animal eſt brutum, vel homo.
Leo eſt animal E. *eſt brutum, vel homo.*
Et: *Lapis non eſt animal.* E. *nec brutum nec homo.*

III. Loci METAPHYSICI ſunt.

1. à Cauſa & Effectu 2. à Toto & Partibus. 3. ab Antecedentibus, Conſequentibus & Circumſtantiis. 4. à Comparatis. 5. ab Adjunctis. 6. ab Oppoſitis.

Obſerva. *Cauſa* eſt, quæ dat eſſe rei. *Vel*, Cauſa eſt principium influens in eſſe rei (voce *influendi* activè ſumptâ)

Effectus eſt, cujus eſſe ab alio pendet. *Ut*,
Cauſa —— *Effectus.*
Architectus —— Domus.

Sunt autem genera Cauſarum *quatuor*: *Efficiens*, *Materia*, *Forma* & *Finis*. Quarum *duæ* ſunt *Internæ*, quæ eſſentiam rei ingrediuntur, vel intrenſecè conſtituunt, nimirum *Materia* & *Forma*; Et *duæ Externæ*, quæ eſſentiam extra ſe producunt, nimirum *Efficiens* & *Finis*.

Cauſa Efficiens eſt, *à qua* res eſt. Ut,
Efficiens —— *Effectum.*
Deus —— Cœlum.

Materia eſt, *ex qua* aliquid fit. Ut,
Materia —— *Materiatum.*
Aurum —— poculum.

Forma eſt, *per quam* res eſt. Ut,
Forma —— *Formatum.*
Anima —— Homo.

Finis eſt, *propter quem* res eſt. Ut,
Finis —— *Finitum.*
Studere —— Scientia.

Variæ Cauſarum diviſiones & ſubdiviſiones, quibus Maximæ ſuperſtructæ ſunt, videantur in Metaphyſicis. Logici ſaltem eſt, Locum notare.

MA-

MAXIMÆ, à CAUSIS IN CENERE.

I. Poſitâ Cauſâ (*proxima, particulari, adæquata, per ſe, in actu ſecundo, perfecto, non impedita*(ponitur Effectus) *in fieri vel eſſe*) Ut:

Adſunt ligna, lapides &c. & *architectus actu ædificans.* E. *domus extruetur.*

At non ſequitur:

Poſito calore Solis, pulli ex ovis excluduntur.
Poſitis pedibus, ponitur peregrinatio.

II. Sublata cauſa (*per ſe*) tollitur Effectus (*quoad eſſe, vel fieri*) Sublatâ ſcilicet cauſâ *Externâ*, tollitur Effectus, quoad *fieri*; *Internâ* verò, quoad *eſſe*. Ut,

Anima migravit è corpore. E.
Vita cum morte commutata eſt.
Architectus eſt mortuus. E.
Domus non extruetur.

III. Nihil eſt Cauſa ſui ipſius (*poſitivè*) Deus dicitur à ſe ipſo *negativè*, quatenus *non* eſt *ab alio.*

IV. Cauſa (*quà Ens*) prior eſt (*naturâ vel tempore*) Effectu (*quà Ente*)

Nam Cauſa & Effectus, quà talia, ſunt Relata, adeoque ſimul. Ut,

Pater, quà homo, prior eſt filio, quà homo eſt.
Sol prior eſt luce.
Architectus prior eſt domo.
Juſtificatio poſterior eſt fide, naturâ, non tempore.

V. Cauſa eſt nobilior (*quà Cauſa*) Effectu (*quà tali.*)

Nam Cauſa, quà Ens tale vel tale, poteſt eſſe ignobilior ſuo Effectu. Sic v. gr. *Filius doctus nobilior eſt Patre Ruſtico, quà homo doctus, non verò quà filius.*

VI. Poſito Effectu, ponitur Cauſa Externa *in eſſe vel fuiſſe*: Interna *verò in eſſe*. Ut,

Terra ingenti motu concuſſa tremuit. E.
Aliquam hujus motûs præceſſiſſe cauſam neceſſeſſum eſt.
Vivit. E. *habet animam.*

VII. Effectus non eſt deterior (*toto genere*) ſuâ cauſâ. Valet hæc Maxima in efficientibus *principalibus* quoad *eſſentialia*, in *Internis* conjunctim ſumptis. Ut

Homo genitus non poteſt toto genere eſſe deterior gignente.

VIII. Nihil (*perfectionis*) eſt in effectu, quod non fuit in cauſa (*formaliter*, *virtualiter aut eminenter.*

Formaliter ineſſe dicitur, quod rei ſecundùm naturam, & definitionem competit. *Ita ſapientia formaliter competit Deo & homini.* *Eminenter* ineſſe dicitur, quod ſecundùm ſummam excellentiam ineſt. Ita *Sapientia eſt in Deo, cum quo Identificatur*; *in homine verò eſt accidens, gradus habens.* *Virtualiter* verò ineſſe dicuntur, ad quæ producenda Cauſa virtutem habet, quamvis cauſæ formaliter, ineſſe repugnet. Sic *Corporeum eſſe Deo nec formaliter, nec eminenter competit*, cùm eſſentiæ Div. repugnet, & quod non ineſt formaliter, illud nec eminenter ineſt. Competit tamen Deo *virtualiter* & *effectivè*, quia eſt cauſa Corporis, & habet virtutem ad naturam corpoream producendam.

MA-

MAXIMÆ à CAUSIS IN SPECIE.

I. AB EFFICIENTE.

I. A poſſe ad eſſe non valet Conſequentia. Sed valet ab *eſſe* ad *poſſe*. Ut, non ſequitur.

Poteſt eſſe doctus. E. *eſt doctus.*

Adam potuit non peccare. E. *non peccavit.*

Sed ita:

Eſt doctus. E. *poteſt eſſe doctus.*

Adam peccavit. E. *potuit peccare.*

II. Unius rei plures poſſunt eſſe Cauſæ (*partiales, ſociæ & diverſi generis*) Sic *Eductionis Iſraëlitarum ex Ægypto Cauſa principalis ſolitaria fuit Deus; Minùs principalis, miniſtra, Moſes; Inſtrumentalis, Baculus Moſis, mare dividens.*

III. Cauſa efficiens (*naturalis, non voluntaria*) ſemper agit idem (*quoad medium & modum agendi, non quoad effectum.*) Sic *Sol ſemper calefacit, ſed effectus caloris pro diverſitate Objecti variat. Lutum enim induratur, & cera liqueſcit, uno eodemque Solis igne, quia liquor in luto extraneus, in cera naturalis eſt.*

IV. Efficiens (*naturalis, non voluntaria*) agit ad extremum virium (*niſi impediatur.*) Sic *ignis urit, quantum poteſt*. At in fornace Babylonica actus ejus ſecundus videtur à potentia ſuperiore impeditus.

V. Poſitis omnibus ad agendum requiſitis, ponitur effectus (*in cauſa naturali, neceſſariò: in voluntaria, contingenter*) Sic *ſemen in terram rectè diſpoſitam jactum non poteſt non fructificare.* At homo indifferens eſt, tum quoad actus exercitium, tum quoad ſpecificationem actus; poteſt furari, vel non furari: furari hoc, vel illud.

VI Qualis cauſa (*Univoca*) talis Effectus (*in eſſentialibus & eſſentiam neceſſariò conſequentibus, non in accidentalibus*) Ut,

Pater eſt rationalis. E. & *filius.*
David eſt labe originali infectus. E. & *Salomo.*

At non ſequitur:

Deus eſt æternus. E. & *mundus.*
David eſt Rex. E. & *Salomo.* Hoc enim fit per accidens.

VII. Cauſæ ſubordinatæ (*eſſentialiter non accidentaliter*) ſtant pro una. Sic *Deus, Sol & Homo generant hominem.*

VIII. Cauſa cauſæ eſt Cauſa cauſati (*in eſſentialiter, non accidentaliter ſubordinatis.*) Sive: *dans formam dat etiam conſequentia formæ* (ſcilicet neceſſaria & naturalia.) Ut,

Pater dat filio animam rationalem. E.
Et intellectum, voluntatem, Riſibilitatem &c.

Sic *Deus nan eſt Cauſa peccati, quamvis ſit cauſa hominis, quia peccatum non dependet ab homine per modum naturalis Sequelæ.*

IX. In

IX. In Cauſis non datur proceſſus in infinitum. *Deveniendum ſcil.* ad primum omnium rerum motorem, qui eſt *Deus.*

X. Quod quis per alium facit, ipſe feciſſe putandus eſt. Sic *David per Joabum, gladio Ammonitico Uriam objiciens, dicitur eum occidiſſe.* Obj. E. *Maledicto Simei Deo imputanda* Reſp. *quà malum culpæ,* Nego: *quà malum pœnæ,* Concedo.

2. A MATERIA.

I. Poſita materiâ (*ex qua, in actu cauſandi*) ponitur materiatum (*in eſſe, vel fieri*) Ut,

Adſunt ligna, E. *domus poteſt extrui.*

II. Sublatâ Materiâ) *per ſe, & immanente*) tollitur Materiatum. Ut,

Non habet partes hominis organicas,
E. *non eſt homo.*

III. Diverſæ Materiæ variant rerum dignitatem. Sic *poculum aureum præſtat argenteo.*

IV. Poſito Objecto, ponitur potentia vel habitus (*in eſſe, vel poſſe eſſe.* Ut.

Datur Color. E. *Et viſus.*
Datur Corpus. E. *Et Diſciplina de corpore, ſcil. Phyſica.*

3. A FORMA.

I. Poſitâ Formâ, ponitur res ipſa, & contrà, Ut,

Habet animam, E. *eſt vivens.*
Habet fundamentum, muros, parietes, contignationes, tectum &c. E. *eſt domus.*

O 5 II. For-

II. Forma (*in actu cauſandi poſita*) dat eſſe (*determinatum*) diſtingui & operari.

III. Unius rei unica eſt forma (*totalis, eſſentialis, ſpecifica*)

IV. Qualis forma, tale formatum. Ut,
Anima hominis nobilior eſt animâ beſtiæ E. *Homo nobilior eſt beſtiâ.*

4. *A FINE.*

I. Finis eſt primum in Intentione, & ultimum in Executione.

II. Finis & bonum convertuntur. Bonum *ſc. verum* vel *apparens, honeſtum, utile, jucundum.*

III. Unius rei multi poſſunt eſſe fines (*ſubordinati, intermedii, per accidens, partiales, cujus; non ultimi, totales, per ſe, cui.*) *Sic conjugii finis eſt procreatio Sobolis*, & *mutuum adjutorium. Pharmacorum finis eſt purgatio; Purgationis finis eſt ſanitas, ſanitatis finis eſt expedita omnium facultatum* ἐνέργεια.

IV. Omne agens (*per ſe*) agit propter finem (*à natura naturante, vel naturatâ, ut loquuntur, intentum.*) Sic *ignis agit propter finem à Deo intentum.*

V. Propter quod unumquodque eſt tale, illud magis eſt tale. Ut,
Sponſus amat ſponſam propter divitias. E. *Divitias magis amat.*

Procedit Canon. 1. Si prædicatum propter cauſam per ſe, proximam, adæquatam, Univocam, & Cauſæ formali-

maliter inſit, cum reflexione effectus ſuper ipſam Cauſam; Sive, ſi *magis & minus* admittat, Sic non ſequitur:

Petrus eſt ebrius propter Vinum. E.
Vinum magis eſt ebrium.
Filius eſt homo propter partem. E.
Pater magis eſt homo.
Paries eſt albus propter pictorem. E.
Pictor magis eſt albus.
Homo eſt creatura propter Deum. E.
Deus magis eſt Creatura.

VI. Qui vult finem (*cauſalitatis, voluntate ordinata & efficaci, & non nuda complacentiæ*) vult etiam media (*per ſe neceſſaria, non directivè tantùm talia.*) *Et vice verſa:* Qui vult media per ſe ad finem ordinata, ille vult finem. Sic *qui efficaciter deſiderat ſcientiam, ille etiam tractat ſtudia. At non ſequitur: Magiſtratus vult executionem Juſtitiæ,* E. *etiam vult latrocinia, furta, adulteria.* Deus *vult finem peccati, ſc. pœnam.* E. *peccatum. Nam* 1. *peccata non ſunt medium ordinarium.* 2. *Pœnæ non ſunt finis cauſalitatis, ſed terminationis tantùm.*

II. DE LOCO TOTIUS ET PARTIUM.

Huc ſpectant MAXIMÆ.

I. Poſito Toto (*eſſentiali, vel integrali*) ponuntur partes. Ut,

Eſt homo. E. *habet corpus organicum & animam rationalem: conſtat animalitate & rationalitate; habet cor, caput, hepar &c.*

II. Poſitis omnibus partibus (*formaliter, & quâ partibus*) ponitur Totum. Ut,

Adſunt

Adſunt fundamentum, contignationes, tectum &c.
E. eſt domus.

At non ſequitur:

Datur anima in cœlo, & Corpus in terra,
E. datur homo.

Cùm Anima & Corpus hîc non ſint in eſſe partium actu unitarum.

III. Totum (*integrale*) eſt majus ſua parte (*quâlibet ſeorſim ſumptâ.*)

IV. Pars eſt prior Toto (1. *ordine cognitionis diſtinctæ.* 2. *Ordine naturæ, quà Ens, non quà pars formaliter.*)

V. Quod tribuitur Toti (*Univerſali & Integrali homogeneo, ſeu ſimilari, materialiter acceptis*) id tribuitur etiam partibus (*Subjectivis & homogeneis.*) Ut,

Animal ſentit. E. & homo.
Aqua eſt humida. E. & quælibet aquæ gutta.

Vide infrà L. 3. cap. XIII. Ubi de Toto & Partibus agetur in Doctrinâ de Diviſione.

III. DE LOCO ANTECEDENTIUM, CONSEQUENTIUM ET CIRCUMSTANTIARUM.

Obſerva. 1. Antecedens eſt, quod rem antecedit ſine influxu cauſali. Sic *aurora antecedit diem*, ſed non eſt cauſa diei. Huc pertinet *Conditio ſine qua non*, ut, *Apertio valvarum eſt antecedens conditio, ſine qua non ſit Illuminatio*; quamvis illuminatio non ſit ab apertione valvarum, ſed à Sole.

2. Consequens eſt, quod rem conſequitur ſine dependentia cauſali. Ut, *dies poſterior priorem.*

Eſtque

Eſtque Antecedens & Conſequens aliud *Neceſſarium*, quod cum Antecedente vel Conſequente neceſſariò connexum eſt; Quale eſt *Signum Neceſſarium*, (τεκμήριον) aliud *Contingens*, quod accidentaliter connexum eſt, Ut ſunt Signa *probabilia* (σημεῖα) Ex. gr.

Antecedens Neceſſarium ——	*Conſequens.*
Remotio puris ——	Cura morbi.
Juventus ——	Senectus.
Conſequens Neceſſarium ——	*Antecedens.*
Adventus Meſſiæ ——	Prophetia Eſaiæ.
Apoſtolatus Pauli ——	Præſcientia Dei.
Antecedens Contingens. ——	*Conſequens.*
Cometa ——	Bellum.
Rubedo cœli ſerotina ——	Mane ſerenum.
Conſequens Contingens. ——	*Antecedens:*
Senectus ——	Juventus.
Pallor ——	Studia.

3. Circumstantiarum vulgò ſeptem numerantur, ſequenti verſiculo incluſæ:

1. *Quis? 2. Quid? 3. Ubi? 4. Quibus auxiliis?*
5. Cur? 6. Quomodo? 7. Quando?

MAXIMÆ AB ANTECEDENTIBUS, CONSEQUENTIBUS & CIRCUMSTANTIIS.

I. Poſito, vel remoto Antecedente (*quà tali*) ponitur vel removetur Conſequens (*ut Conſequens.*) In connexis neceſſariis *neceſſariò*, in contingentibus *probabiliter*. Ut,

Judæi non habent ſceptrum. E. Meſſias venit.
Sol non eſt ortus. E. dies non eſt.

II. Poſito Conſequente, ponitur Antecedens (*quod cum Conſequente neceſſariò connexum.*)

III. Po-

III. Poſitis omnibus Circumſtantiis, ponitur res ipſa. Sic *ex omnibus Circumſtantiis Adventum Meſſiæ Theologi, Facti Authorem Juriſconſulti, Morbum Medici colligunt.*

IV. DE LOCO COMPARATORUM.

Obſerva. *Comparata* ſunt, quæ conferuntur in aliquo *Tertio*, in quo vel conveniunt, & dicuntur *Eadem*; Vel diſcrepant, & dicuntur *Diverſa*. *Eadem* ſunt *Similia* vel *Paria*. *Diverſa* ſunt *Diſſimilia*, vel *Imparia*. *Similia* & *Diſſimilia* ſunt Comparata ratione unius tertii ſimpliciter. Ut,

Simile —— *Tertium Comparationis* —— *Simile.*
Plato —— Doctrina —— Ariſtoteles.
Diſſimile —— *Tertium* —— *Diſſimile.*
Abel —— Pietas —— Cain.

Hæc ratione *Qualitatis* ita enunciantur: *Ariſtoteles Platoni ſimilis eſt ratione doctrinæ. Abel Caino eſt Diſſimilis ratione pietatis.*

Paria & *Imparia* ſunt Comparata ratione *Modi* & *Gradus* circa idem tertium. Ut,

Paria —— *Tertium* —— *Paria.*
Plato —— Doctrina —— Ariſtoteles.
Imparia —— *Tertium* —— *Imparia.*
David —— Fortitudo —— Goliath.

Hæc ratione *Quantitatis* ita enuntiantur:

Ariſtoteles tàm doctus eſt ac *Plato.* Seu
Æqualis eſt Platoni in doctrina.
David fortior eſt Goliatho. Seu
Goliath Davidi inæqualis eſt ratione fortitudinis.

Poteſt igitur aliquid alteri eſſe ſimile, & par vel impar ſimul, *David* & *Goliath ſimiles ſunt,* quò

quà fortitudinem; Impares quà fortitudinis gradu.

Tertium Comparationis aliud eſt *Eſſentiale*; Genus, Species, Differentia; Aliud *Extraeſſentiale*, Proprium vel Accidens, quæ per ſe clara ſunt.

Item Comparatio alia eſt *Implicita*, ſeu *Contracta*. Ut, *homo bulla*; Alia *Explicita*, vel *Plena*, quæ πρόταсιν & ἀπόδοσιν habet expreſſam. Ut ſicut bulla citò evaneſcit, ita & homo. *Vid. de his D. Dieteric.* l. 1; c. 20. & ſeq.

MAXIMÆ à COMPARATIS.

Quæ conveniunt in uno Tertio, illa inter ſe conveniunt (*quoad illud Tertium.*) Ut.

Impius credit Deum. Diabolus credit Deum. E.
Impius & Diabolus (quoad hoc credere) pares ſunt.

II. De Paribus & Similibus idem eſt judicium, Similium & Diſſimilium eadem eſt ratio. Ut,

David laudatur ob pietatem. E.
Et Petrus ob eandem laudabitur.

III. A Majori (*ſeu magis probabili*) ad Minus (*ſeu minus probabile*) valet Conſequentia negativè tantùm. A Minori ad Majus tantùm affirmativè. *Ut,*

Si diligens ſtupidus parùm proficit;
Multò minus negligens ſtupidus proficiet.

Contrà: *Si ſtupidus proficit:*
Multò magis ingenioſus.

IV. Cui competit Comparativus (*Propriè*) eidem & Poſitivus. *Et qui vincit Comparativum, idem & Poſitivum.* Ut,

Petrus

Petrus eſt doctior Paulo. E. *eſt doctus.*
Chriſtus vicit diabolum, qui fortior eſt mundo, E. etiam mundum vincere poteſt.

Non autem ſequitur:
Scortatio melior eſt adulterio E.
Scortatio eſt bona. vid. lib. 2. c. 8.

V. Si id eſt, quod minùs eſt probabile, etiam id erit, quod magis eſt probabile.

V. DE LOCO ADJUNCTORUM.

Adjuncta hîc dicuntur omnia, quæ non ſunt de eſſentia rei, ſed quovis modo ad rem referuntur. Sic *calceus* eſt adjunctum *Pedis*. *Aër* eſt adjunctum *avis* &c.

MAXIMÆ AB ADJUNCTIS.

I. Poſito Subjecto ponitur Adjunctum (*proprium.*) Et Negato Adjuncto *proprio*) negatur Subjectum. *Ut*,
Eſt Piper. E. *calefacit.*
Non calefacit. E. *non eſt Piper.*

II. Poſito Adjuncto (*proprio & adæquato*) ponirur Subjectum. *Et* Negato Subjecto negatur Adjunctum (*proprium.*) *Ut.*
Eſt Conſul. E. *eſt Homo.*
Non eſt Homo. E. *Nec Conſul.*

VI. DE LOCO OPPOSITORUM.

De Oppoſitis actum eſt lib. 1. cap. 11.

MAXIMÆ ab OPPOSITIS.

I. Oppoſita (*in actu perfecto & gradu ſummo*) non poſſunt eſſe in eodem Subjecto (*ſecun-*

cundum idem, ad idem, eodem modo, & reſpectu ejuſdem temporis, & Loci.) Vid. libr. 1.

II. Oppoſita juxta ſe poſita magis elucescunt. Τὰ παράλληλα ἐστι φανερώτερα. Sic Temperantia ſplendidior eſt, ſi opponatur Luxuriæ.

III. Contrariorum (*perfectè talium*) contraria eſt ratio. Ut,

Fides Deo placet. E.
Infidelitas eidem diſplicet.

IV. Poſito Relatorum uno, ponitur alterum (*quoad eſſe Relationis.*) Sic, poſito patre, quà tali, ponitur filius.

V. A Privatione (*Totali, non partiali*) non datur regreſſus ad Habitum (*naturaliter.*) Sic à morte nemo naturaliter redit ad vitam.

VI. Contradictoria non habent medium (*neque Participationis, neque Negationis*) Contradictio enim eſt inter ENS, & non ENS.

CAPUT X.
DE
SYLLOGISMO SOPHISTICO.

Quid opponitur Syllogiſmo Dialectico?

Syllogiſmus Sophiſticus.

Quid eſt Syllogiſmus Sophiſticus?

Qui ſub ſpecie veri decipit, & dicitur Fallacia.

Syllogiſmus Sophiſticus dicitur Syllogiſmus æquivocè, ejus ratio conſiſtit in hoc, ut 1. *decipiat* adverſarium. 2. Sed *ſub ſpecie veri*, procedens ex principiis non principiis, ſed principia tantùm mentientibus, & fucum facientibus.

Quotuplices ſunt Fallaciæ?

Fallaciæ aliæ ſunt *in Dictione*, aliæ *extra Dictionem*.

Hi ſunt duo *Loci Sophiſtici*, ex quibus fallaciæ depromuntur. Nimirum, alia Sophiſmata nectuntur ex *Vocibus*, alia ex *Senſu*: quæ ut eò faciliùs animadvertere, cavere, & detegere queamus, & ipſi quoque in meditationibus noſtris cautiores ſimus, in ſequentibus evolvenda ſunt.

CAPUT XI.
DE
FALLACIIS IN DICTIONE.

Quot ſunt Fallaciæ in Dictione?

Sex: Æquivocatio, Amphibolia, Compoſitio, Diviſio, Accentus, & Figura Dictionis.

Quid eſt Fallacia ÆQUIVOCATIONIS?

Quando ex æquivocatione Vocis oritur deceptio. Ut,

Omnis Vulpes (propriè) *eſt quadrupes.*
Herodes eſt Vulpes (impropriè) E.
Herodes eſt quadrupes.

2. *Quid eſt Fallacia AMPHIBOLIÆ?*

Quando ex ambiguitate Orationis, vel Phraſeos, oritur deceptio. *Ut*,

Qui

Qui arat littus (propriè) *terram aratro proſcindit.*
Qui incorrigibilem monet, arat littus (proverbialiter) E,
Qui incorrigibilem monet, terram aratro proſcindit.
Hanc fallaciam commiſerunt Oracula Gentilium: *Ajo te Æacida, Romanos vincere poſſe. Crœſus Ha'ym penetrans magnam pervertet opum vim*: nec non illud Alberto Placentino datum: *Domine, ſis ſecurus, Inimici intrabunt terram tuam, & injicientur* (id eſt ignem) *domui tuæ*; quæ duplicem, ut patet, ſenſum admittunt.

3. 4. *Quid eſt Fallacia* COMPOSITIONIS, & DIVISIONIS?

Quando conjunguntur dividenda; vel dividuntur conjungenda. Ut,

Julius Cæſar fuit Pariſiis, & vidit Romam (in ſenſu diviſo.) E.
Pariſiis vidit Romam (in ſenſu compoſito)
Fides, (quæ habet bona opera) *ſine operibus juſtificat.*
Fides ſine operibus, (vel quæ non habet bona opera) *eſt res mortua,* E.
Res mortua juſtificat.

Huc pertinet mutilatio textuum, ſive ex Jure, ſive ex Sacra Scriptura prolatorum.

5. *Quid eſt Fallacia* ACCENTUS?

Quando ex Accentu, aut ſimili pronuntiationis ſono oritur deceptio. Ut,

Feritas eſt vitium.
Virtus eſt Veritas (ſed non feritas.) E,
Virtus eſt Vitium.
Qui æquum tenet, eſt juſtus.
Auriga tenet equum (ſed non æquum.) E,
Auriga eſt juſtus.

6. *Quid eſt Fallacia FIGURÆ DICTIONIS?*

Cùm decipimur ſimilitudine terminationis, ſive *Grammaticæ*, ut:

Menſa eſt Generis fœminini. E. & *Poëma:*

Sive Logicæ, quando ab uno prædicamento, fit tranſitus ad aliud, propter Vocis Relativæ ambiguitatem, quæ nunc *Subſtantiam*, nunc *Qualitatem*, *Quantitatem*, *Relationem* &c. ſignificat. Ut,

Quod Corpus geſtavimus in terra, (ratione ſubſtantiæ) *id geſtabimus in Cœlo.*

Peccaminoſum Corpus (ratione qualitatis) *geſtavimus in terra.* E.

Peccaminoſum Corpus geſtabimus in cœlo.

Quod corpus pependit in cruce, id participamus in Sacra Cœna,

Corpus cruentum, mortuum &c. *pependit in cruce* E.

Corpus cruentum, mortuum &c. participamus in Cœna S.

CANON GENERALIS.

Omnes Fallaciæ in dictione laborant quaternione Terminorum.

Ideò in omnibus neganda eſt *Conſequentia.*

CAPUT XII.
DE FALLACIIS EXTRA DICTIONEM.

Quot ſunt Fallaciæ extra Dictionem;

Septem: Fallacia Accidentis: Dicti: Ignoratio Elenchi: Petitio Principii: Conſequentis:

tis : Non Cauſæ ut cauſæ : & plurium Interrogationum.

1. *Quid eſt Fallacia ACCIDENTIS?*

Cùm rei tribuitur per ſe, quod ei per accidens competit Ut,

Petrus abnegavit Chriſtum (per accidens)
Petrus eſt Apoſtolus. E.
Apoſtoli abnegant Chriſtum.

Accidens hic dicitur *omne prædicatum prædicationis formalis, quod modo aliquo diverſum eſt à Subjecto.*

Quot modis fiunt Sophiſmata Accidentis? Duobus modis:

1. Quando confunditur *genus prædicationis* perfectæ cum imperfecta, eſſentialis cum accidentali, uſitatæ cum inuſitata &c. ex. gr.

Corpus Chriſti (naturaliter) *eſt immortale.*
Panis eſt Corpus Chriſti (ſymbolicè.) E.
Panis eſt immortalis.

Omnis ſtultitia (in ſe, & per ſe) *eſt fugienda.*
Evangelium eſt ſtultitia (per accidens, & hominum malitiâ) E.
Evangelium eſt fugiendum.

2. Quando confunditur *genus Suppoſitionis.* Ut,

Mus (formaliter) *rodit caſeum.*
Mus (materialiter) *eſt Syllaba.* E.
Syllaba rodit caſeum.

Animal (ſimpliciter) *eſt genus.*
Homo eſt animal (perſonaliter) E.
Homo eſt genus.

 Quid

2. *Quid eſt Fallacia DICTI?*

Cùm id, quod ſecundùm quid verum eſt, ſimpliciter concluditur, & vice verſa. Ut,

Æthiops eſt albus, quà dentes. E.
Eſt albus,

3. *Quid eſt Fallacia ELENCHI?*

Cùm decipimur ſpecie contradictionis. *Ut,*

Latro fuit in Paradiſo (quà animam.)
Latro non fuit in Paradiſo (quà corpus) E.
Fuit, & non fuit in Paradiſo.

4. *Quid eſt Fallacia PRINCIPII?*

Cùm idem per idem, aut incertum per æquè incertum probatur. *Ut*, Si quis velit probare, *Mundum eſſe æternum ex eo, quia non habeat principium* (quod idem eſt, ac eſſe æternum.)

5. *Quid eſt Fallacia CONSEQUENTIS?*

Cùm decipimur ſpecie reciprocationis, & oppoſitionis. *Ut,*

Lucet. E. *eſt ſtella* (quia ſequitur)
Eſt ſtella E. lucet.)

Mala opera damnant. E. *bona opera juſtificant.*
Bona opera non ſunt neceſſaria ad ſalutem.
Sunt pernicioſa ad ſalutem (peccat in leges oppoſitionis, de quibus ſuprà.)

6. *Quid eſt Fallacia CAUSÆ?*

Cùm ſumitur pro cauſa id, quod non eſt cauſa. *Ut,*

Vinum

Vinum (abuſus vini) *efficit malum.*
E. *Vinum eſt malum.*

7. *Quid eſt Fallacia* PLURIUM INTERROGATIONUM;

Cùm ad diſtinctas interrogationes una datur reſponſio. Ut,

Eſtne Cæſar fortis, & tyrannus?
Reſp. *Eſt.* E. *eſt Tyrannus.*
Reſp. *Non eſt.* E. *non eſt fortis.*
Et huc pertinent verba Incipiendi, & Deſinendi. Ut, *Deſiiſtine furari?*
Si dicas: *Ita,* Inferet Sophiſta. E. *hactenus furatus es.*
Si dicas: *Non deſii.* Inferet, E. *adhuc furaris.*
De quibus Suprà.

CAPUT XIII.

DE

SYLLOGISMO DEMONSTRATIVO, SEU APODICTICO.

IN SPECIE.

Priusquam de Demonſtratione ſermo inſtituatur, differi debet de Definitione, & Divisione. Hæ enim ſunt Baſis omnis Demonſtrationis.

DE DEFINITIONE.

Quotuplex eſt Definitio?

Duplex: Nominalis, & Realis.

Quid eſt Definitio Nominalis?

Explicatio Vocis qualiſcunque. Ut, *Meſſias eſt Chriſtus. Homo, qui ab humo.* &c.

Quid eſt Definitio Realis?

Declaratio ipſius Rei.

Quotuplex eſt?

Duplex: *Alia* Perfecta, *alia* Imperfecta.

Quid eſt Definitio Realis Perfecta?

Eſt Declaratio Rei per Conceptus Eſſentiales proximos.

Quid vocas Conceptus Eſſentiales proximos?

Conceptus Eſſentiales proximi ſunt *Genus* proximum, & *Differentia* proxima; ut: ſi hominem definias, quod ſit *animal rationale.*

Vel Conceptus iis *analogi, communes,* & *reſtringentes,* id quod in tranſcendentibus, & Divinis locum habet: Ut ſi dicas: *Pater eſt Deus gignens: Filius eſt Deus genitus.*

*Nota: Differentias pro diverſitate rerum ſumi vel ab aliquo *intrinſeco,* vel à reſpectu ad aliquod *extrinſecum.* Poſteriori modo definiuntur *incompleta, accidentia, modi, privationes &c.* quorum differentiæ petuntur à reſpectu quodam ad compartem, objectum, finem, cauſas, circumſtantias &c.

Quid eſt Definitio Realis Imperfecta?

Eſt Declaratio Rei per conceptus Eſſentialium proximorum vicarios. Dicitur propriè Deſcriptio. Cujusmodi tres ſunt:

1. Cùm

1. Cùm definitur aliquid per conceptus *eſſentiales remotos.*

Ut: *brutum eſt corpus vivum ſenſitivum.*

2. Cùm ſubſtantia completa phyſica definitur per *partes eſſentiales phyſicas*, h. e. materiam & formam.

Ut: *homo eſt compoſitum ex anima rationali, & corpore organico.*

3. Cùm definitur aliquid per *extraeſſentialia*, ex. gr.

α) Per *propria.* Ut Leo eſt animal rugibile.

β) Per *ἐνέργεια*, & *Accidentia propria*: Ut Homo eſt, qui ratiocinatur, ridet, erecto corpore incedit.

γ) Per *cumulationem Accidentium communium*, quales ſunt deſcriptiones herbarum apud Botanicos.

δ) Per *partes Integrales.* Ut arbor eſt, quæ conſtat ramis, trunco & ſtipite.

ε) Per *cauſas externas.* Ut homo eſt creatus à Deo ad imaginem Dei.

ζ) Per *contrarium*, ut: Cauſa per accidens eſt, quæ non per ſe influit in effectum.

η) Per *ſimilitudinem*, ut Homo eſt bulla. h. e. ſimilis bullæ.

Quot ſunt cauſæ formandi ejusmodi Definitiones Imperfectas?

Duæ potiſſimum:

1. *Neceſſitas*, quando *vel* res ipſa non capit perfectam definitionem, ut Ens, quod non habet

conceptum ſuperiorem. *Vel* nos non capimus rei eſſentiam, formæ enim rerum eſſentiales potiſſimam partem nos latent, & quaſi in puteo ſepultæ jacent.

2. *Scopus & Intentio*, ſic pro diverſa ratione inſtituti aliter definit Phyſicus, aliter Metaphyſicus, aliter Mathematicus &c.

Quomodo Definitio bona debet eſſe comparata?

Definitio ſit, 1. PERSPICUA. 2. ADÆQUATA. 3. AFFIRMATIVA.

Dico 1. PERSPICUA, unde neceſſe eſt

α) ut conſtet ex notioribus, vel *in ſe*, qualia ſunt Genus, & Differentia, vel ſaltem *nobis*, qualia ſunt Propria,& Effectus.

β) ut evitentur Termini *æquivoci, metaphorici, obſcuri* & *obſoleti*.

γ) ut Definitum, ſcil. *totum*, non ingrediatur Definitionem, aliàs ignotum per æquè ignotum explicatur.

2. ADÆQUATA, ita, ut exhauriat Definitum, ſitque eo nec *latior*, nec *anguſtior*.

3. AFFIRMATIVA, i. e. ut conſtet Terminis *poſitivis*, ſi quidem ſubjectum ſit ENS poſitivum, & habeat attributa poſitiva, intellectui noſtro obvia.

* Negativa enim & Privativa, cùm prædicata poſitiva non habeant, ſecundùm naturam ſuam utique negativè definiri debent. Ut: ἡ ἁμαρτία ἐστὶν ἀνομία, Quando autem Attributa rei poſitiva intelle-

tellectum noſtrum fugiunt, tum faciliùs dicere poſſumus, quid res non ſit, quàm quid ſit, quam *viam negationis*, vel *remotionis* Philoſophi vocant.

DE DIVISIONE.

Quotuplex eſt Diviſio?

Duplex: *Alia* Nominalis, *alia* Realis.

Quid eſt Diviſio Nominalis?

Diviſio vocis in ſua ſignificata. Ut *Libertas ſignificat immunitatem ſpiritualem, & civilem.*

Quid eſt Diviſio Realis?

Diviſio Rei in partes. Ut *Homo in Corpus, & Animam.*

*Doctrina de Diviſione pendet à Doctrina de Toto, quæ ad Metaphyſicam propriè ſpectat: Unde hîc prægustum tantùm dabimus:

Totum dicitur, quod habet partes, ſive *reales*, ſive *formales*, ſive *actuales*, ſive *potentiales*.

Dividitur I. in Totum *per ſe*, quale eſt Homo.
Per Accidens: Ut, Homo doctus.

II. In Totum α) *Univerſale*, cujus partes dicuntur Subjectivæ, ſeu inferiora. Tale Totum eſt genus reſpectu ſpecierum, & ſpecies reſpectu Individuorum.

β) *Eſſentiale*, cujus Partes habent ſe ut Potentia, & Actus; & ſubdividitur hoc Totum Eſſentiale in (*a*) *Phyſicum*, cujus partes ſunt *Materia*, & *Forma*.

(*b*) *Logicum*, vel *Metaphyſicum*, cujus partes ſunt *Genus*, & *Differentia*.

γ) *Integrale*, Ut ſunt partes ſubſtantiæ corporeæ integrantes e.gr.

In

In Homine, caput, pectus, brachia, pedes &c. Sunt verò

Aliæ *Similares*, ut partes ſanguinis.

Aliæ *Diſſimilares*, ut partes Capitis, cerebrum, oculi, naſus &c.

Quotuplex eſt Diviſio Realis?

Triplex: Partitiva, Diſtributiva, Diſtinctiva.

Quid eſt Partitio?

Eſt diviſiō Rei in partes *conſtitutivas*:

Vel *Eſſentiales*, ſive *Phyſicas*, ut Homo in Corpus & animam, ſive *Logicas*, ut Homo in animal, & rationale.

Nota: Hûc referri quoque *Aggregata*, & *Concreta*.

Vel *Integrales*, ut binarii in duas unitates: Corporis Humani in Caput, brachia, pedes &c.

Quid eſt Diſtributio?

Eſt Diviſio Rei in partes *Subjectivas*. Ut animal in brutum, & hominem. *Adeoque eſt Diviſio totius univerſalis.*

Quid eſt Diſtinctio?

Eſt Diviſio *Subjecti* per *Attributa*. Ut Hominum alii ſunt *divites*, alii *pauperes*.

Vel *Attributi* per *Subjecta*, ut bona alia ſunt *Corporis*, alia *Animi*. Morborum alius *Cephalicus*, alius *Pectoralis* &c.

Vel

Vel denique *Attributi* ſecundùm *Attributa*. Ut Flavum aliud eſt *dulce*, ut Mel, aliud *amarum*, ut Fel.

Quomodo Diviſio juſta debet eſſe comparata?

Diviſio omnis debet eſſe I. Adæquata. II. Oppositiva. III. Positiva. IV. Immediata.

Dico 1. ADÆQUATA. Ut diviſum comprehendat omnia dividentia, & Diviſio exhauriat totum Diviſum, & ſic diviſum, atque Diviſio poſſint reciprocari; Sic malè dividitur Actio in *Spontaneam*, & *Invitam*, quia datur *Mixta*.

2. OPPOSITIVA. Non Subordinata ſi non *materialiter*, tamen *formaliter*. Sic quamvis ſuperficies comprehendat Lineam, & corpus ſuperficiem, item ratiocinatio Judicium, & judicium Apprehenſionem, tamen non adæquatè, & *formaliter*, ſed inadæquatè & *materialiter* tantùm, ſe comprehendunt.

3. POSITIVA. i. e. Vocibus etiam Grammaticè poſitivis expreſſa. *Excipe*, quando voces Poſitivæ deficiant, ut *Ens in infinitum, & finitum, Animal* in rationale & irrationale, *Mixtum* in animatum & inanimatam, *Numerus* in parem, & imparem, *Homo* in doctum, & non doctum.

4. IMMEDIATA. Ne fiat ſaltus; ſic non rectè dividitur Subſtantia *corporea* in Lapidem, Arborem, Leonem & Hominem, quia prætermittuntur multa *genera Intermedia*.

Hîs

His itaque præmiſſis ſit Quæſtio I.

Quid eſt Syllogiſmus Demonſtrativus?

Is, qui ex ritè definitis, & diviſis terminis propoſitiones efficit, & ex his concluſionem evidentem, convincentem, neceſſariam, immediatam elicit.

Quotuplex eſt Syllogiſmus Demonſtrativus?

Duplex: ὅτι, *ſeu* quòd; & διότι, *ſeu* propter quid. (Hic *primarius*, ille *ſecundarius* eſt.) Neque enim perfectam, & evidentem cognitionem habet, qui ſcit rem eſſe, niſi etiam ſciat, cur ſit.

Quid eſt Syllogiſmus διότι, *ſeu propter quid?*

Qui demonſtrat, Cur ſit? à causâ proximâ concludendo ad effectum. Ut,

Omne rationale eſt riſibile.
Omnis homo eſt rationalis. E.
Omnis homo eſt riſibilis.

Dicitur aliàs Demonſtratio à priori.

Quid eſt Syllogiſmus ὅτι?

Qui demonſtrat, quòd ſit, procedendò.

1. Ab Effectu ad Cauſam, quæ Demonſtratio dicitur à poſteriori. v. g.

Cujus umbra eſt rotunda, illud ipſum eſt rotundum.
A. Terræ umbra eſt rotunda.
E. Ipſa Terra eſt rotunda.

2. à Cauſâ remotâ ad Effectum negativè. v. gr.

Quod non eſt animal, non reſpirat.
A. *Lapis non eſt animal.*
E. *Lapis non reſpirat.*

3. ab uno neceſſariò connexorum ad aliud. v. g.

Q. Lapis *convertitur ad polum*, ille etiam *trahit ferrum.*
A. *Hic lapis* (magnes) *convertitur ad polum.*
E. *trahit ferrum.*

Qui ſunt Termini Syllogiſmi Demonſtrativi?

1. SUBJECTUM. 2. AFFECTIO & 3. CAUSA.

EXPLICA mihi hos terminos.

1. SUBJECTUM Affectionis eſt *Minor Terminus*, de quo affectio demonſtratur.

Vocatur à Philoſopho *Genus*, *ſubjectum Genus*, *primum ſuſceptivum*, πρῶτον δεκτικὸν, ſive ſit *theoreticum*, ſive *practicum*, ſive *poëticum*; ſive *neceſſarium*, ſive *contingens*; ſive *univerſale*, ſive *ſingulare*: modò ita ſe habeat, *ut Affectio aliqua per Cauſam neceſſariam de ipſo demonſtrari poſſit.*

2. AFFECTIO eſt Major Terminus, qui de Subjecto demonſtratur.

Dicitur *Proprium*, *proprium* πάθος, *paſſio*, *attributum*. Ut, *Ecclipſis de Luna*; *Immortalitas de anima rationali*; *Æternitas de DEO.* Dicitur autem affectio, quicquid Subjecto neceſſariò tribuitur; ita tamen, ut Conceptum eſſentialem non ingrediatur, ſed ex iſto fluat.

3. Cauſa

3. Causa eſt *Medius Terminus*, per quem Affectio de Subjecto demonſtratur.

Ut *Ecclipſis de Luna*, *per Interpoſitionem terræ inter Solem, & Lunam*; *Immortalitas de anima*, *per naturam Spiritus*; *Æternitas de DEO*, *per Independentiam eſſentialem*. Cùm verò quatuor ſint Cauſarum genera: *Efficiens*, *Finis*, *Materia*, & *Forma*; in demonſtratione tantùm locum habent *Efficiens*, & *Finis*. Materia enim, & Forma huc non pertinent, *quatenus Cauſæ Internæ*, & ut eſſentiam conſtituentes, ſed quatenus ſunt *cauſæ ſuarum proprietatum*, & *operationum efficientes*. Et *Efficiens* quidem alia eſt *formalis*, Phyſica, & propriè ſic dicta Cauſa; alia *Virtualis*, Logica, & *ratio inferendi à priori*, quæ quamvis Cauſa propriè dicta non ſit; ita tamen ad Affectionem comparata eſt, ut, ſi poſſibilis eſſet aliqua illius affectionis Cauſa, illa *ratio à priori* eſſet ea cauſa. Sic *indiviſibilitas* eſt Affectio Entis: ejus ratio à priori eſt *Unitas*: ſecundùm modum enim concipiendi Ens ideò eſt *Indiviſibile*, quia *eſt unum*. Sic, ut dictum, *Independentia* eſt ratio à priori *æternitatis*.

Quæ eſt natura Propoſitionum Demonſtrativarum?

Propoſitio Demonſtrativa eſt principium proprium, verum, neceſſarium, primum, & immediatum, prius, notius, & cauſa concluſionis.

Principium Proprium. *Vid. ſuprà* c. XII.

Verum. *Ex falſis enim principiis vera ſcientia non acquiritur.*

Neceſſarium. *Quod enim gradum neceſſitatis non habet, ſcientiam parere non poteſt.*

Primum

Primum & Immediatum. *Ita ut inter cauſam, & effectum non intercedat alia; Si non actu, ut ſit in Demonſtratione abſolutè perfecta, tamen virtute, ita ut ſint tales, quæ per aliquas primas jam ſunt demonſtratæ*, ex. gr.

1. 2. 3. 4.
Linea |---- *Quantum* --- *Extenſum* ---- *Diviſibile.*
5.
---- *Menſurabile.*

Si dicam: *Linea eſt quanta.*

Quantum eſt extenſum.
Extenſum eſt diviſibile.
Diviſibile eſt menſurabile.

hæ ſunt Propoſitiones *immediatæ.*

At ſi dicas:

Linea eſt extenſa.
Quantum eſt diviſibile.
Extenſum eſt menſurabile &c.

Hæ ſunt propoſitiones *mediatæ*, quia inter Subjectum, & Prædicatum datur *medium*, cur Prædicatum Subjecto inſit. ex. gr. *Inter Lineam, & Extenſum eſſe, datur Tò Quantum*, quod eſt cauſa Extenſionis, propter quam extenſio lineæ tribuitur &c.

In Demonſtratione itaque ſimpliciter perfecta *Major* Propoſitio eſt *immediata*, immedietate *Cauſæ, & Effectus*, ſive affectionis; *Minor immedietate Subjecti, & Cauſæ*, Ut,

Omne quantum eſt extenſum.
Omnis Linea eſt quanta. E.
Omnis Linea eſt extenſa.
Omne extenſum eſt diviſibile.
Omne quantum eſt extenſum. E.
Omne quantum eſt diviſibile.
Omne diviſibile eſt menſurabile.
Omne extenſum eſt diviſibile. E.
Omne extenſum eſt menſurabile.

Q Nec

Nec tamen à Demonſtratione ſimplieiter excludendi ſunt, qui conſtant ex *Mediatis* ante demonſtratis. Ex. gr.

Omne extenſum eſt menſurabile.
Omnis linea eſt extenſa. E.
Omnis linea eſt menſurabilis.

Utraque præmiſſarum eſt *Mediata.*

Prius. Tùm *naturâ* ſive in ſe, quia cauſam continet: tùm *nobis*, quia per illud Concluſionem cognoſcere debemus.

Notius, id eſt; *evidentius*, & *certius Concluſione.*

Cauſa Concluſionis. *Non tantùm inferendi, ſed etiam eſſendi:* ita, ut Syllogiſmus Demonſtrativus habeat neceſſitatem non tantùm formalem, & *Conſequentiæ*, ſed etiam materialem, & *Conſequentis.*

Et hæc *Principia Demonſtrativa* alia ſunt *ſimpliciter* ἀναπόδεικτα, ſive *Indemonſtrabilia*, & tam manifeſtæ veritatis, ut, cognitâ vocabulorum ſignificatione, nemo ſanus ea negare poſſit, & vocantur *Axiomata*, Ut.

Ex nihilo nihil generatur.
Summum bonum eſt expetendum.

Alia ſunt *Indemonſtrabilia ſecundùm quid*, quæ quamvis demonſtrari poſſint, tamen ut per ſe nota ſumuntur, *quia* vel *levi declaratione innoteſcunt*, & dicuntur *Theſes*, ſive *Poſitiones*; Vel *anteà demonſtrata ſunt*, & dicuntur *Hypotheſes*, *Suppoſitiones*; Vel quia *alibi demonſtrantur*, & vocantur αἰτήματα, *Poſtulata*, quia docens ea tantiſper ſibi concedi petit, donec ſuo tempore probentur.

CANONES.

I. Cauſa Demonſtrativa debet eſſe adæquata, & ratio proxima, propter quam.

II. In

II. In demonſtratione ὅτι & διότι, datur regreſſus.

Nam primò ex effectu, qui nobis notior eſt, demonſtramus cauſam; deinde cognitâ causâ progredimur ad demonſtrandum effectum.

CAPUT XV.

DE SYLLOGISMO PSEUDOGRAPHICO.

Quid Syllogiſmo Demonſtrativo opponitur?

Syllogiſmus Pſeudographicus.

Pſeudographema, ψευδογράφημα à ψευδογράφειν dicitur, cùm Figuræ non, ut debent, ſecundum regulas ſuas delineantur. Traductum autem ad Logicam notat vitioſam demonſtrationem.

Quid eſt Syllogiſmus Pſeudographicus?

Eſt Demonſtratio vitioſa, vel ex principio falſo, vel ex vero quidem, ſed communi, aut alieno.

Falſo) ut ſi quis in Ethicis pro principio habeat *omne jucundum eſſe appetendum*; Et concludat: *Voluptatem corporis eſſe expetendam.*

Communi) Nam qui ex communibus principiis vult demonſtrare, ille non demonſtrat, nec ſcientiam, ſed opinionem acquirit.

Alieno.) Dicitur hoc vitium, μετάβασις εἰς ἄλλο γένος, ſive *tranſitus in aliud genus. Genus* autem hìc non intel-

intelligitur *Logicum*, ſed *Phyſicum*, id eſt, *Subjectum*, de quo demonſtratur aliquid: Ideò tranſitus in aliud genus nihil aliud eſt, quàm *de Subjecto unius ſcientiæ tranſire in Subjectum alterius*: Sive, per eandem cauſam, quâ Affectio aliqua de Subjecto hujus Diſciplinæ demonſtrata eſt, demonſtrare affectionem aliam de alio Subjecto.

Nota 1. *Subjecta Diſciplinarum alia eſſe Oppoſita, alia Subalterna.*

Oppoſita Subjecta ſunt, quorum unum non continetur ſub altero.

Sic Subjectum Phyſicæ, non continetur ſub Subjecto Pneumaticæ; nec Subjectum Arithmeticæ, ſub Subjecto Geometriæ.

Subalterna verò Subjecta Diſciplinaria ſunt, quorum unum ſub altero continetur, ſive *ſimpliciter*, ſive *accidentali* quadam *differentiâ* diſtinctum.

Ita ſimpliciter ſub Subjecto *Metaphyſicæ* continentur Subjecta quarumque Diſciplinarum inferiorum; Sed cum accidentali differentia Subjectum *opticæ*, continetur ſub ſubjecto *Geometriæ*; Subjectum *Muſicæ*, ſub *Arithmeticæ*; *Medicinæ*, ſub *Phyſicæ*; *Aſtronomiæ*, ſub *Phyſicæ*, & *Geometriæ* Subjecto. Agit enim

Geometria,	de *Linea.*
Optica.	de Linea viſiva.
Arithmetica,	de *Numero.*
Muſica,	de Numero *ſonoro.*
Phyſica,	de *Corpore naturali.*
Medicina,	de Corpore naturali *ſanabili.*
Phyſica,	de *Terra, Cœlo, & Stellis.*
Geometria,	de Magnitudine *Terræ.*
Aſtronomia,	de Magnitudine, & motu *Corporum Cœleſtium.*

Quod-

Quodque de Subjectis diſciplinarum inter ſe comparatarum dicitur, idem etiam intelligendum de *partibus*, & *ſpeciebus* ſub illo Subjecto diſciplinari contentis. Sic in Phyſicis ſimpliciter ſubordinantur Corpus, mixtum, & animal; & opponuntur Corpus ſimplex, & mixtum.

Corpus.

Simplex. Mixtum.

Animal.

Nota. 2. *Quæſtiones* aliæ ſunt *ſimplices*, & unius diſciplinæ, *aliæ mixtæ*, quæ ex diverſis poſſunt adſtrui.

Sic Deum eſſe Triunum, Chriſtum Θεάνθρωπον &c. quæſtiones ſunt Theologicæ, nec niſi principiis Theologicis poſſunt probari. At Deum eſſe, Deum eſſe Unum, Omnipotentem &c. Animam humanam eſſe immortalem &c. id tam ex Theologia, quàm ex Philoſophia *ſuo modo* adſtruitur. Ita tàm Aſtronomia, quàm Phyſica probat, *Lunam eſſe rotundam.*

Ex his nunc apparet *α*) non fieri μετάβασιν.

1. *Cùm principium diſciplinæ ſubordinantis applicatur Subjecto diſciplinæ Subalternatæ; vel, cùm id quod ſuperius eſt, applicatur inferiori.*

Ex. gr. Principia Metaphyſica diſciplinis inferioribus; Vel Principia Phyſica, Medicinæ; Geometriæ, Opticæ; Principia Arithmetica, Muſicæ. Quia enim Diſciplinæ Subalternatæ unum genus, ſive unum Subjectum habent, accidentaliter tantùm diſtinctum, patet, tranſitum à Subjecto ad Subjectum non fieri.

2. *Cùm Quæſtio Mixta ex oppoſitarum diſciplinarum principiis adſtruitur.*

Quamvis enim diſciplinæ ſint inter ſe oppoſitæ, tamen reſpectu certarum quæſtionum ad unam Concluſionem adſtruendam confluunt. Huc pertinent principia, quæ una Diſciplina ex altera, tanquam aliàs nota, aut aliunde cognoſcenda ſupponit. Tunc enim principia illa etiam alteri diſciplinæ fiunt domeſtica. Sic in divinis utimur principiis iſtis naturalibus:

Gignens, & genitus realiter differunt.
Filius eſt ejusdem cum Patre eſſentiæ.
Qui natus eſt ex homine, loquitur, flet, &c. ille eſt verus homo.

Contrà (β) fit tranſitus de genere in genus:

1. *Cùm principium unius diſciplinæ transfertur ad probandam Concluſionem diſciplinæ oppoſitæ propriam*

Ut, ſi Principium Phyſicum: ex *nihilo nihil fit*, quod loquitur de *generatione*, transferas ad deſtruendam *Creationem*, ſive productionem rerum ex nihilo. Vel, ſi ex principio Mathematico, *omne quantum eſt diviſibile*, probes, *non dari Atomos.* Sic limites movent *Pontificii*, dum ex principio *politico* (necdum omnibus probato) à ſtatu regiminis politici Monarchico concludunt ad ſtatum Eccleſiæ Monarchicum, adeoque unum viſibile Eccleſiæ Caput. Item *Calviniani*, dum ex principio phyſico, quòd unum Corpus non poſſit eſſe ſimul in pluribus locis, concludunt, neque Corpus Chriſti in pluribus locis eſſe poſſe.

2. *Cùm principia ex una diſciplina in aliam tranſlata, ultra limites applicantur.*

Sic rectè ex Phyſicis infero:

Qui eſt verus homo, illè habet voluntatem humanam.
Chriſtus eſt verus homo. E.
Chriſtus habet voluntatem humanam.

In his enim S. Scriptura nullos ponit limites.
Sed malè procedit: Cor-

Corpus naturale non poteſt eſſe in pluribus locis.
Corpus Chriſti eſt naturale. E.
Non poteſt eſſe in pluribus locis.

Ratio eſt, quia Scriptura hic limites ponit,& de Corpore Chriſti aliter docet. Sic ex ratione gignentis, & geniti rectè inferimus, in divinis dari realiter diſtinctas perſonas; ſed ſi ultra velis progredi, & inferre,E. etiam dantur eſſentiæ numero diſtinctæ; quia, quæ realiter differunt, illa etiam eſſentialiter differant: tum Scriptura S. limites ponit, dum aſſerit, nihilominùs unum tantùm eſſe Deum. Imò Scriptura Sacra illud principium ut ad Creaturas reſtrictum ſupponit ex alio principio, naturâ noto, quòd ſcilicet non ſint Compoſſibilia duo, vel plura Infinita. Principia ergò hujuſmodi examinanda ſunt, num abſoluta, an verò ad certum Entis genus reſtricta; & maximè, an in Theologicis patiantur *Inſtantiam.* Sic illud *Arii*, quo veram Chriſti Deitatem negavit, quia Chriſtus ſit genitus, omne autem genitum habuerit principium ſui eſſe, ab ipſa Scriptura reſtringitur ad res naturales, dum docet, Chriſtum, & *genitum eſſe, & non habere eſſendi principium.*

CANON.

Philoſophia non eſt contraria Theologiæ.

Patet ex dictis. Sic videntur alicui contrariari hæc:

Nulla Virgo eſt mater.
Quædam Virgo (Maria) *eſt mater.*

Minimè tamen contrariantur; quia vel illud Phyſicum: *nulla virgo eſt mater*, accipitur ſecundùm curſum naturæ, & ſic non adverſantur, ſed utraque vera eſt:

Nulla virgo (naturaliter) *eſt mater.*
Quædam virgo (ſupernaturaliter) *eſt mater.*

Vel, ſi velis principium illud abſolutè accipere, nullam Virginem, ſive ſecundùm, ſive ſuprà curſum naturæ eſſe matrem, tùm *principium petis*, quia S. Scriptura dat *Inſtantiam* de Maria.

FINIS LOGICÆ.

Δόξα Θεῷ μόνῳ, πάντοτε δόξα Θεῷ.

005656370